Cl. D. Mariani Dobmayer,

Theologiae ac Philosophiae Doctoris, Consiliarii eccles. Bavarici actualis, Philos. ac Theolog. quondam Professoris p. o.

Institutiones theologicae

in

Compendium redactae

ab

Emmeramo Salomon,

O. S. B. p. t. professore Theol. dogmat. in Lyceo Ratisbonensi.

Tomus I.

complectens

Theologiam theoreticam generalem et regulam fidei catholicae.

Cum facultate Reverendissimi Ordinariatus Ratisbonensis.

Solisbaci,
apud J. E. de Seidel.
1823.

S. Bernardus

ad

Theologiae Studiosos.

Scientia sine charitate inflat:
Charitas sine scientia aberrat:
Scientia cum charitate aedificat!

Apostolus Rom. XII, 3. scribit: „Dico autem per gratiam, quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.“ Non prohibet sapere, sed plus sapere, quam oportet. Quid est autem, sapere ad sobrietatem? Vigilantissime observare, quid scire magis, priusve oporteat. Tempus enim breve est. Est autem, quod in se est, omnis scientia bona, quae tamen veritate subnixa sit: sed tu, qui cum timore et tremore tuam

795

ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius, ampliusque curato, quae senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicinae portionem diffiniunt eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, et ad quem modum, quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit; tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum et ordinem non observes, reddis plane non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite et de scientiis.

Sed melius mitto vos ad Magistrum. Non est enim nostra ista sententia; sed illius; immo et nostra, quoniam Veritatis. „Qui se“, inquit, „putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire.“ I. Cor. VIII, 2. Vides, quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiae in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? quid? nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quaeque nosse oporteat? Quo ordine; ut id prius, quod maturius ad salutem: quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam, vel proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant: et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi: et turpis vanitas est.

Qui profecto non evadent subsannantem Satyricum, et ei, qui ejusmodi est, decantantem:

„Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.“

Persius sat 1.

Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: et turpis quaestus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut aedificent: et charitas est. Et item, qui scire volunt, ut aedificentur: et prudentia est.

Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.“ S. Bern. serm. 36. in Cantica.

Duplex autem scientia ad salutem conducit, et requiritur; cognitio nempe sui ipsius, et cognitio Dei.

Cognitio sui ipsius, ut idem S. Bernardus dicit, „vere scientia est, quae non inflat, sed humiliat, et est quaedam praeparatio ad aedificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale aedificium stare minime potest. Porro ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius seu accommodatius potest, quam si se in veritate invenerit: tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuat se ante faciem suam, nec se a se avertere abducatur. Nonne se ita intuens clara luce veritatis, inveniet se in regione dissimilitudinis: et suspirans misera, quam

jam latere non poterit, quod vere misera sit, nonne cum Propheta clamabit ad Dominum: In veritate tua humiliasti me? Ps. 118, 75. Nam quomodo non vere humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum faece infectam, caecam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus aerumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur ad Dominum; et in humilitate clamabit: Sana animam meam, quia peccavi tibi? Ps. XL, 5. Porro conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis.

Ego quamdiu in me respicio, in amaritudine moratur oculus meus. Si autem suspexero et levavero oculos ad divinae miserationis auxilium; temperabit mox amaram visionem mei visio laeta Dei. Nec mediocris visio Dei, pium et deprecabilem experiri, sicut revera benignus et misericors est, et praestabilis super malitia: quippe cujus natura bonitas, et cui proprium est misereri semper et parcere. Tali itaque experimento et tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo noverit in necessitate positum, et cla-

mabit ad Dominum, et exaudiet eum, et dicet: Eruam te, et honorificabis me Ps. XLIX, 15. Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei cognitio tui: et ex imagine sua, quae in te renovabitur, ipse videbitur, dum tu quidem revelata facie gloriam Domini cum fiducia speculando, in eamdem imaginem transformaris de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.

Sed jam demum adverte, quomodo utraque cognitio sit tibi necessaria ad salutem, ita ut neutra carere valeas cum salute. Nam si ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An vero sine timore Dei, et sine humilitate de salute praesumas, tu videris. . . . . Quid si ignoras Deum? Poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare, quem nescias, aut habere, quem non amaveris. Noveris proinde te, ut Deum timeas: noveris ipsum, ut aeque ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero et consummaris: quia initium sapientiae timor Domini est, et plenitudo legis est charitas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quam sine timore et amore Dei salus esse non potest. Caetera indifferentia sunt, nec salutem, si sciantur: nec damnationem, si nesciantur, habentia.“ S. Bern. serm. 36 et 37 in Cantica.

Oratio
ante Studium.

Deus, scientiarum Domine, sapientiae dux et sapientium emendator, qui doces hominem scientiam, et linguas infantium facis disertas: mitte sapientiam de coelis sanctis tuis, et a magnitudine sedis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud te. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Da mihi intellectum, ut mihi attendens, et doctrinae, devitem profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, fiamque operarius inconfusibilis, recte tractans verbum veritatis. Da mihi scientiam Sanctorum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, et idoneum fac me ministrum novi testamenti ad dandam scientiam salutis plebi tuae, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

Oratio
post studium.

Ne sinas me, Domine, inflari scientia, quae destructur, sed da caritatem aedificantem, quae nunquam excidit, ut non evanescam in cogitationibus meis, nec judicem me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Amen!

Conspectus.

Theologia, seu scientia religionis, dividitur in Generalem et Specialem. p. 1. 2.

Theologia generalis

quae veram religionem nobis assignat, quatuor complectitur partes. p. 3. 4.

Pars I.

De religione in genere.

CAPUT I.

De religione naturali.

Religionis, quae universalis est, varias tamen formas induit, origo indagari potest et debet p. 4 — 7. eaque non ex auctoritate humana, sed ex sano et communi naturae humanae statu repetitur p. 7. 8. Unde hominis naturam, et destinationem, hujusque obtinendae conditiones determinare oportet, quarum prima est libertas; altera immortalitas; tertia, et ea quidem conditio conditionum est Deus. p. 9 — 13. Cuivis sanae mentis homini incumbit officium religionis tum internae, tum externae. p. 14 — 16. Ex universali religionis officio oritur regnum divinum. p. 17. 18.

CAPUT II.

Insufficientia religionis naturalis.

De pretio religionis naturalis diversae vigent sententiae, quarum examen fieri debet. p. 19. 20. Insuffi-

cientia religionis naturalis primo colligitur ex ipsa historia religionis naturalis, per tres periodos deducta: p. 21 — 25. deinde ex naturali hominis statu explicatur: p. 26. 27. et demum ex ipsa religionis naturalis indole evincitur. p. 28. 29.

CAPUT III.

De revelatione generatim.

Sectio I. Possibilitas revelationis. Revelatio, seu actio Dei supernaturalis, et immediata, qua hominibus veritates, ad religionem pertinentes, communicantur, possibilis est — logice, physice et moraliter. p. 30 — 34.

Sectio II. Characteres verae revelationis. Vera revelatio insignita esse debet characteribus, ex quibus agnosci et dignosci queat; qui quidem interni et externi esse possunt. Characteres interni — respectu argumenti — sunt: revelationis pars nulla repugnare potest doctrinae, quam ratio jamjam de regno Dei statuit; revelatio non solum capita doctrinae rationalis de regno Dei, sed supernaturales etiam veritates, et mysteria continere potest: p. 34 — 38. — respectu modi — is Deo dignus, homini accommodatus, et ad finem revelationis conveniens esse debet. p. 39. 40. Characteribus internis externi accedere debent, qui petuntur 1) ex charactere legati divini; 2) ex miraculis, quorum possibilitas, veritas, et vis probandi declaratur p. 42 — 47. 3) ex prophetiis, quarum item possibilitas, veritas et vis probandi examinatur. p. 48 — 52.

Sectio III. Propagatio revelationis. Revelatio divina vel particularis, vel universalis esse potest. p. 53 — 55. Universalis revelatio ut propagetur, quinque modi concipi possunt. p. 56 — 58. Examen revelationis propagatae justum fieri potest. p. 59 — 65.

Pars II.

De religione divinitus revelata.

CAPUT I.

De documentis divinae revelationis.

Documenta, ex quibus discimus, divinam revelationem factam esse, sunt libri christianorum sacri, quorum examen instituendum est, ut iis ceu authenticis documentis uti liceat. p. 64 — 68.

Sectio I. De libris protocanonicis novi testamenti. Protocanonicos N. T. libros esse authenticos, constat 1) ex argumento et stilo eorum; 2) ex testimoniis, et 3) ex statu librorum istorum. p. 69 — 74. Pariter integritas eorum substantialis certa est. p. 75. 76. Demum auctoritas scriptorum historica indubitata est. p. 77 — 84.

Sectio II. De libris protocanonicis veteris testamenti. Libros V. T. protocanonicos fide dignos esse, ex sensu Judaeorum, a Christo et ab Apostolis approbato, intelligimus. p. 85. 86. In specie Mosen esse auctorem Pentateuchi, discimus 1) ex argumento et stilo Pentateuchi; 2) ex testimoniis; 3) ex eo, quia suppositio Pentateuchi moraliter impossibilis est. p. 87 — 91. Reliqui etiam canonis hebraici libri sunt authentici. p. 92. Pentateuchus et reliqui V. T. libri integri sunt conservati. p. 93 — 95. Moses summa gaudet auctoritate historica. p. 96. 97. Reliquorum etiam scriptorum auctoritas in dubium vocari nequit. p. 98.

CAPUT II.

Existentia divinae revelationis.

Sectio I. Divina revelatio in periodo patriarchali. De religione Patriarcharum solus Moses est testis authenticus. p. 99.

Articulus I. Religio patriarchalis — theoretica p. 100 — 102. practica p. 103. et externa. p. 104. 105.

Art. II. Divina religionis patriarchalis origo — ex characteribus revelationis in — et externis. p. 106 — 109.

Sectio II. Divina revelatio in periodo mosaica.

Art. I. Constitutio mosaica — quoad religionem tam theoreticam, quam practicam p. 111 — 116. — quoad partem liturgicam p. 117 — 119. quoad partem politicam. p. 119. 120.

Art. II. Divina constitutionis mosaicae origo — ex characteribus internis p. 121. ex aperto Mosis testimonio, cujus veritas probata est miraculis multis, et prophetiis p. 122 — 128. et confirmata ex historia. p. 129 — 133.

Sectio III. Revelatio divina in periodo christiana.

Art. I. Religio a Christo tradita. Character Christi p. 134 — 136. Finis adventus Christi. p. 137. Religio Christi — theoretica p. 138 — 140. practica p. 141 — 144. Methodus docendi, quam Christus servavit. p. 144 — 146.

Art. II. Divina religionis christianae origo — ex ipsa religionis christianae praestantia: p. 146. 147. ex testimonio Christi, per se fide digno, p. 148 — 150. cujus veritas insigni miraculorum serie, et prophetiis fuit comprobata; p. 151 — 162. et per resurrectionem ac ascensionem Christi p. 162 — 167. et per omnem christianae religionis historiam p. 167 — 172. confirmatur.

CAPUT III.

Nexus divinae revelationis.

Revelatio, licet triplici in periodo fuerit facta, cohaeret tamen nexu reali, et potissimum prophetico. p. 173 — 175.

Sectio I. Theoria brevis de prophetiis Messianis. Prophetia Messiana dignoscitur ex ipso prophetiae argumento, ex auctoritate Christi et apostolorum, et ex consensu veterum Judaeorum et Ss. Patrum. p. 176. 177. Interpretatio prophetiarum Messianarum fieri debet juxta regulas interpretationis grammaticalis et historicae; ex auctoritate Novi Testamenti; consulendi etiam sunt Ss. Patres ac veteres Judaei. p. 178 — 181. Prophetiis Messianis adjungendi sunt typi Messiani p. 181.

Sectio II. Recensio prophetiarum messianarum. Prophetiae istae ordine chronologico recensendae sunt 1) ex periodo patriarchali p. 182 — 184. 2) ex periodo mosaica p. 185 — 193. Ex quibus completus Messiae character deduci, et consilium ejus aestimari potest. p. 194 — 196.

Sectio III. Eventus prophetiarum messianarum in Jesu Nazareno. Eventum istum mundus expectabat aetate Christi. p. 197. Messias jam advenit; p. 198. et is non est alius, nisi Jesus Christus. p. 199 — 202.

Appendix. Comparatio religionis christianae 1) cum judaismo recentiore: p. 203 — 205. 2) cum gentilismo: p. 206 — 208. 3) cum Muhamedanismo. p. 208 — 211.

Pars III.

De ecclesia divinitus instituta.

CAPUT. I.

Originarius ecclesiae Christi status.

Sectio I. Principia praevia. Status ecclesiae christianae ex voluntate et fine Christi est determinandus. p. 214. Voluntatem et finem Christi ex ipsis Christi verbis, et ex factis ac declarationibus apostolorum discimus. p. 215. Regulae interpretationis, a quovis christiano acceptandae. p. 216.

Sectio II. Facta Christi, ad statum ecclesiae spectantia. Christus voluit, ut omnes, qui sufficientem de evangelio notitiam ceperint, religionem suam acceptent, exerceant, et profiteantur; seu Christus societatem religiosam, et visibilem, id est, ecclesiam ipse vere instituit. p. 217 — 222. Ecclesiam suam Christus voluit esse universalem, et omnimoda unitate insignitam. p. 223 — 231. Hunc in finem Christus apostolis dedit potestatem 1) authentice docendi religionem suam 2) administrandi baptismum et sacram coenam, 3) et regendi fideles potestate legislatoria, judiciaria et executiva: p. 232 — 241. adeoque vere instituit potestatem ordinis et jurisdictionis, quam solis apostolis propriam esse voluit. p. 242 — 244. Ad obtinendam unitatem soli S. Petro specialem praerogativam promisit et contulit, constituens eum — fundamentum ecclesiae, clavigerum et pastorem omnium fidelium; sicque vere primatum jurisdictionis in ecclesia sua instituit. p. 244 — 252. Exinde sequitur, in ecclesia christiana ab ipso Christo institutum esse imperium sacrum et supremum, cujus etiam formam et modum regiminis Christus ipse determinavit. p. 253 — 255.

Sectio III. Ulterior ecclesiae declaratio. Praecipua, quam Christus ecclesiae suae dedit, praerogativa est Infallibilitas, cujus notio explicatur, possibilitas declaratur, et veritas ostenditur — ex promissionibus Christi, et ex factis et verbis apostolorum. et ipso rationis suffragio confirmatur. p. 256 — 267. Apostoli ex ordinatione divina constituerunt episcopos, presbyteros et diaconos. p. 268 — 274. Datur ergo in ecclesia Christi discrimen inter laicos et clericos; et inter hos hierarchia. p. 275. 276.

CAPUT II.

Perduratio status originarii in ecclesia catholica.

Sectio I. Perduratio primatus Petri. In vera Christi ecclesia successor S. Petri legitimus esse

debet, — qui est Romanus pontifex, rite electus. p. 280 — 282. Romano igitur pontifici primatus jurisdictionis in ecclesia christiana competit, quem 1) Romani pontifices semper exercuerunt 2) ecclesia universa semper agnovit. p. 283 — 289.

Sectio II. Perduratio potestatis apostolicae. Apostolorum successores sunt episcopi, qui ordinariam Apostolorum potestatem tam ordinis, quam jurisdictionis tenent. p. 290 — 293. Cum praerogativa S. Petri, et cum potestate apostolorum infallibile etiam magisterium in ecclesia catholica perduravit. p. 293 — 296.

Sectio III. Perduratio verorum christianorum. In ecclesia catholica semper fuerunt, et adhuedum sunt veri christiani. p. 296 — 300. Ecclesia ergo catholica est vera Christi ecclesia: p. 300. 301. et veram ac integram habet doctrinam Christi. p. 302 — 307.

CAPUT III.

Coetuum aliorum defectio a statu ecclesiae originario.

Sectio I. Historica coetuum acatholicorum recensio. Ecclesiae graecae schismaticae — libri symbolici, status, et doctrina. p. 308 — 310. Coetus Protestantium, qui Lutherum sequuntur, origo, libri symbolici, status, et doctrina. p. 310 — 313. Reformatorum origo, libri symbolici, doctrina tum de statu ecclesiae, tum de religione p. 314 — 316. Ecclesiae Anglicanae origo, symbolici libri, status et doctrina. p. 317. 318. Socinianismus vetus, et novus. p. 319 — 321.

Sectio II. Censura horum coetuum. Omnes istos coetus ab ipsa Christi institutione deficere patet ex eorum indole, origine seriore, et diversitate in gubernatione ecclesiae. p. 322. 323. In specie ecclesia graeca, coetus Lutheri et Calvini, ecclesia anglicana, et Socinianismus tam vetus, quam recentior variis ex capitibus deficiunt: p. 323 — 327. et ecclesia catholica istis coetibus est praeferenda. p. 328. 329.

Sectio III. Argumentum populare ex notis verae ecclesiae. Vera Christi ecclesia certis quibusdam notis insignita esse debet; ea nempe esse debet sancta, universalis (catholica): una, et apostolica. p. 330 — 332. Omnes istae notae competunt soli ecclesiae catholicae; p. 332 — 340.

Pars IV.

Regula fidei catholicae; sive de criteriis theologiae catholicae. p. 341 — 343.

CAPUT I.

Auctoritas Dei revelantis.

Sectio I. De sacra scriptura.

Art. I. Theoria de s. scriptura. Librorum deuterocanonicorum authentia et auctoritas. p. 345. 346. Inspirationis notio et possibilitas. p. 347 — 349. Argumentum pro inspiratione V. et N. T. ex ipsa s. scriptura: p. 350. 351. argumentum commune et decretorium ex sensu ecclesiae, cui ipsa ratio suffragatur. p. 352 — 355. De gradu inspirationis divinae. p. 356 — 358. Canon s. scripturae in conc. Trid. declaratus. p. 358 — 360. Versionis vulgatae historia, notio et authentia. p. 361 — 364.

Art. II. Praxis s. scripturae. Regulae generales. p. 365 — 367. Lectio s. scripturae promiscua non expedit. p. 368.

Sectio II. De traditione, sive de verbo Dei non scripto.

Art. I. Theoria. Traditionis divinae notio, et existentia in quavis revelationis periodo, etiam post clausum s. scripturae canonem. p. 370 — 376. Ejusdem auctoritas. p. 377. 378.

Art. II.

Art. II. Praxis. Traditiones divinae agnosci et dignosci possunt ex characteribus certis: p. 379. eaeque integrae ad nos usque pervenerunt: et inveniri possunt. p. 380 — 383.

CAPUT II.

Auctoritas ecclesiae.

Sectio I. Theoria.

Art. I. Objectum infallibilitatis se extendit ad integrum salutis ordinem, a Christo institutum. Unde ecclesia veritates formaliter et virtualiter revelatas infallibili auctoritate declarare, symbolum conficere, eique confecto alios articulos addere, disciplinam generalem statuere, librorum ortho — vel hetero — doxiam definire potest. p. 385 — 390.

Art. II. Auctoritas ista infallibilis residet penes episcopos cum Romano pontifice conjunctos. p. 392. Auctoritas episcoporum et Romani pontificis seorsim spectati. p. 393 — 396. Auctoritas ista solemniter se exerit per concilia generalia; p. 396 — 400. extra casum concilii generalis per sensum ecclesiae dispersae. p. 400 — 402. Ecclesiae dispersae sensum insigniter discimus ex Ss. Patribus, quorum consensum in rebus fidei et morum ecclesia semper, et juste quidem venerata est. p. 403 — 405.

Art. III. De conditionibus infallibilitatis. Infallibilis declaratio ecclesiae debet esse certa et determinata; edita cum consensu Papae; et fundamentum habens in divina revelatione. p. 406 — 408. Analysis fidei catholicae. p. 408 — 410.

Sectio II. Praxis. Regulae de usu conciliorum, de colligendo sensu ecclesiae dispersae, de usu constitutionum pontificiarum, et Ss. Patrum. p. 411 — 414.

CAPUT III.

Auctoritas rationis.

Errant, qui in negotio religionis, et in theologia usum rationis excludunt; pejus adhuc errant, qui soli rationi omnia deferunt. p. 415 — 417. Oportet ergo usum rationis in theologia ita temperare, ut jura ejus et limites simul serventur. p. 418. 419. Cernitur autem usus rationis potissimum in religione vera invenienda, illustranda, et defendenda. p. 419 — 421.

Capita quaedam ex commonitorio S. Vincentii Lerinensis. p. 422 — 430.

Insti-

Institutiones theologicae.

§. 1.

Theologia vi nominis sermonem significat, sive scientiam de Deo rebusque ad Deum spectantibus, uti sunt: existentia et natura Dei, ejusque consilia et opera etc.; communiter tamen theologia vocatur scientia religionis.

a) Religio, quatenus ea in homine est, in agnitione et cultu Dei consistit. In eo enim ere religionem esse dicimus, qui firma fide tenet, esse Deum, auctorem et rectorem universorum; qui Deum agnoscit sanctum legislatorem, providum gubernatorem justumque retributorem; qui gratitudinis, fiduciae, pietatis et amoris sensum erga Deum in animo suo fovet, signisque aptis exprimit; et omnem vitae suae rationem ad sanctam Dei voluntatem componit, cuncta a Deo repetens, et cuncta similiter ad Deum referens.

b) Scientia talem religionis notitiam importat, quae perspicuitate conceptuum, soliditate argumentorum, et ordine rerum gaudet.

§. 2.

Recte theologia dividitur in Generalem et Specialem. Ad parandam nempe religionis scientiam duae praeprimis quaestiones sunt solvendae: primo quidem quaenam inter tot diversas, quae in mundo occurrunt, religionis formas sit religio vera: deinde quaenam sint omnia et singula verae illius religionis capita. Prior illa quaestio in generali, altera in speciali theologia pertractatur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Theologia generalis.

§. 3.

Theologia generalis, quae veram religionem assignat, tribus, vel si mavis, quatuor constat partibus. Prima de religione in genere; altera de religione divinitus revelata, seu de christiana; tertia de ecclesia divinitus instituta, quae est ecclesia catholica; et quarta de regula fidei catholicae agit.

* Vindiciae hujus divisionis per decursum theologiae generalis magis ac magis patebunt. Sobrio enim cuivis salutisque suae studioso ipsa ratio officium religionis verae et quaerendae, et acceptandae promulgat; sola autem revelatio, quam Deus novissime dedit per Filium suum, Christum, veram ac plenam praestat religionem; religio dein christiana in ecclesia catholica, quam Christus ipse religionis suae custodem instituit, pura servatur et integra; demum ut omnia et singula religionis verae, seu christianae suis ex fontibus rite deducantur, regula fidei catholicae theologiae generali addi, et theologiae speciali praemitti debet.

** Momentum theologiae generalis facile intelligitur non solum ex ipsa objecti dignitate et gravitate; sed etiam ex relatione ejus ad theologum et futurum ipsius munus, et ex conditione aevi nostri, quo de religione vera diversae adeo opiniones circumferuntur.

*** Divisiones aliorum. Stattler demonstrationem evangelicam et catholicam distinguit, et tractatum de locis theologicis: quem fere sequuntur Wiest et Zimmer, de veritate rel. christ. et ecclesiae cath.

Beda Mayer: Vertheidigung der natürl. der christl. und der kathol. Religion. Dobmayer discernit partem rationalem: (de religione in genere) et positivam de religione christiana et de vera Christi ecclesia, et tractatum de regula fidei adjungit.

Pars I.

De religione in genere.

§. 4.

Quae de religione in genere dici possunt, tribus continentur capitibus, quorum primum de religione, ut ajunt, naturali sive rationali; alterum de insufficientia religionis naturalis, et tertium de revelatione divina agit, seu theoriam revelationis divinae praestat.

* Ratio humana, cui omnis etiam historia suffragatur, intelligit, religionem in ipsa hominis natura esse fundatam. Eadem tamen ratio facile etiam perspicit, se solam negotio religionis plene, secure et feliciter perficiendo imparem esse. Unde ad altius auxilium, quod in divina positum est revelatione, adducimur.

Caput I.

De religione naturali.

§. 5.

Religio vere catholica sive universalis est; varias tamen formas induit.

a) Propriae enim conscientiae cujusvis nostrum accedit historia omnis, quae testatur, apud omnes omnium locorum et temporum nationes quandam inveniri religionis formam.

* Qui narrant, integras nationes sine religione a se fuisse detectas, aut non satis diu apud illas morabantur, aut minus solicite hanc rem investigabant, alia longe negotia ibi tractantes; vel non pollebant dexteritate, notitias de religione illarum gentium saepe diversa et occulta capiendi; vel ex defectu certorum rituum ad defectum religionis praepropere concludebant.

b) Varias autem esse religionis formas, aeque certum est; si enim numen respicimus, monotheismum, polytheismum multiplicis generis, et pantheismum invenimus: si ad cultum numinis attendimus, eundem quam maxime diversum deprehendimus.

§. 6.

Facti hujus adeo mirabilis originem indagare oportet: summa enim est religionis dignitas, summumque momentum pro tota hominis destinatione. Unde hac in re nec scepticismus, nec indifferentismus sustineri potest.

a) Scepticismi nomine pruritus ille denotatur, qui dubia, utut vana, ipse quaerit, pertinaciter tenet, et ubique divulgat. Is jam 1) indignam habet originem; vel enim oritur ex vitio intellectus, qui aut demonstrationem, quam nec materia, nec mentis nostrae natura admittit, petit; aut abusus et varias formas ab usu et substantia non discernit: — vel ex vitio voluntatis, quae aut paradoxiam in re hominibus sacra ambit, aut fraenum religionis horret et fugit: 2) funestus est in effectu, utpote

qui omnia fato aut casui subjicit, rationi et voluntati normam et fulcrum eripit, totumque genus humanum perturbat: 3) et ab ipsa ratione et mente sana rejicitur; utpote quae tum ex natura sua, tum ex officio in veritatem tendit, quae proin in re omnium gravissima dari debet. cf. Schwarz: Handbuch der Religion. I. Th.

* Objiciunt: 1) Religio pertinet ad praejudicia infantiae. R. Viri ingenio et virtute praestantes nunquam non religionem colunt. 2) Mundus altior homini non patet. R. Non patet quidem sensibus, attamen rationi et conscientiae eo, quo oportet et sufficit, modo. 3) Vera religio non potest inveniri. R. Attente et sincere qui veritatem quaerit, vocemque rationis et conscientiae audit, suo satisfacit officio. 4) Errores intellectus sunt innoxii. R. Nisi ex negligentia, fastu et aversione animi contra veritatem oriantur. Praeterea errores circa veritates religionis in ipsam influunt voluntatem.

b) Indifferentismus, qui religionem pro re vana habet, et perinde esse dicit, sive hanc, sive illam acceptaveris religionem, pariter 1) ex indigno oritur fonte: nempe ex defectu culturae vel intellectualis, dum religio vilipenditur, non indagatur, aut non capitur; vel moralis, dum mens terrae rebusque profanis affixa ad religionem non emergit vel eam perversis inclinationibus suis adversam refugit: 2) funestos producit effectus, eoquod vel religionem omnino tollat, vel spuriam inducat et merum religionis chaos post se trahat cum multiplici et magno civitatis et humanitatis detrimento: 3) et ab ipsa ratione ac sana mente damnatur; utpote quae in rebus magni momenti veritatem indagare, te-

netur. cf. De la Mennais: Ueber die Gleichgültigkeit in Religionssachen: übers. von Müller. Solothurn I. Th. 1820.

*) Objiciunt: 1. Ex religione fluxerunt mala plurima. R. Vera religio non potest nisi bonos effectus producere, si vim ejus benignam vitium hominum non impediat. 2. Deus indifferens est erga nostrum cultum. R. Non eget quidem nostro cultu Deus; exigit tamen eum, uti usum rationis: et nos indigemus cultu divino. 3. Varietas religionis pertinet ad pulchritudinem mundi moralis. R. In substantia religionis, quae ex una Deum inter et hominem relatione oritur, et ad communem hominis finem tendit, debet dari unitas. 4. Potuisset Deus inspirare hominibus, quam ab ipsis religionem exigat. R. Uti in physicis, ita a potiori in religione homo non more machinae, vel bruti ducitur, sed ratione uti debet. Praeterea Deus verae religioni per revelationem suam — teste historia — satis consuluit. 5. Humanum est axioma: Porta patens esto! nulli claudatur honesto! R. Non est in nostra potestate portam vel aperire, vel claudere: sed ea res ad rectorem et judicem mundi moralem spectat.

** Heilungsmittel sind 1) Erweckung eines richtigen Gefühles für die Würde und Bestimmung der Menschheit; 2) unpartheyische und bescheidene Untersuchung über die Wahrheit, Wichtigkeit und Erhabenheit der Religion; und besonders 3) treue Anwendung der Religion auf das Herz und in dem Leben.

§. 7.

Religionis universalis, simul tamen adeo diversae originem non ex auctoritate humana; sed ex sano et communi naturae humanae statu, qui absentiam omnis corruptionis in triplici nostra facultate spirituali, et ordinarium

culturae, maxime moralis, gradum importat, repetere oportet.

a) Licet enim sacerdotes, principes, poetae et philosophi non raro multum contulerint, ut religio varias indueret formas; ipsa tamen religionis origo ex istis causis explicari nequit: nam 1) religio antiquior est sacerdotio, politia, poesi et philosophia: 2) nisi religio in ipsa natura hominis fundetur, intelligi non potest, quomodo ea a sacerdote, principe etc. inventa, et ab omni genere humano acceptata fuerit et retenta; 3) demum rei hujus, in facto positae, nec auctor, nec tempus, nec locus assignari potest.

b) Unde religio in ipsa hominis natura fundata est; utpote 1) quae sola hominibus communis est semper et ubique; et quidem in statu ejus non corrupto; ignorantia enim causarum naturalium, illusio phantasiae, et perversus spei et timoris affectus etc. toti generi humano tribui non potest; et religio eo magis suam tuetur dignitatem et efficaciam, quo magis homines in genuina illustratione et pietate profecerint: et in statu ejus communi; philosophica enim hominum cultura serior religione est, et paucis competit hominibus. 2) Dein propria ingenuum quemvis conscientia convincit, in homine non facultatem tantum; sed etiam indigentiam et stimulum religionis inveniri.

* Fateri tamen oportet, quod ex diversis istis causis, ex ignorantia, phantasia, spe, timore etc. diversae religionis formae saltem ex parte manaverint.

§. 8.

Naturalis ista religionis origo vera quidem est, et sufficiens; distinctius tamen eam exponere oportet, quia religio naturali et communi tantum rationi innixa, teste historia, facile corrumpitur, aut omnino amittitur, et quia ratio culta pro natura sua et pro officio suo effata rationis naturalis clarius exponere et solidius stabilire debet. Unde ex philosophia lemmata quaedam de natura et destinatione hominis, et de conditionibus destinationis istius obtinendae adducere juvat. cf. Dobmayer syst. theol. dogm. tom. II. p. 27 — 168.

§. 9.

Natura hominis duplex est — sensualis nempe et rationalis; eaque in triplici facultate sese exserit — in facultate cognoscendi, quae ad veritatem tendit per experientiam, rationem et auctoritatem: — in facultate sentiendi, quae ad felicitatem, et in facultate appetendi, quae ad sanctitatem (moralitatem) tendit.

* Legem moralem, quam nec audivimus, nec legimus, cordi nostro inscriptam novimus tum ex conscientia nostra, tum ex observatione aliorum, tum ex historia; eamque instituta rite reflexione absolutam, universalem, et necessariam non possumus non agnoscere. Attamen legi morali, ut universe vim suam exerere valeat — praesertim in pugna contra sensualitatem vivaciorem — altior accedere debet sanctio ex auctoritate ejus, a quo originem ipsa trahit, et qui observatori legis praemia et violatori poenas inferre potest.

§. 10.

Ex ista hominis natura jure infertur, supremam hominis destinationem esse harmoniam moralitatis et felicitatis, veritati innixam.

a) Facultas enim cognoscendi naturali quodam nisu ad veritatem, facultas appetendi ad sanctitatem, et facultas sentiendi ad felicitatem fertur. Quum autem triplicem istam inter facultatem non raro detur collisio, ratio, pro natura sua tendens ad unitatem, harmoniam intelligit esse necessariam.

b) Unde in charactere sive natura hominis spirituali, cui natura sensualis ceu inferior et ceu medium ad finem subordinanda est, primum est veritas, a qua omnis vita spiritualis initium habet, rectumque moralitatis et felicitatis studium dirigitur: deinde moralitas, quae omnem venerationem ab omni ente rationali meretur, et ob naturam nostrae voluntatis impleri potest, et ob finem ejus impleri debet, veritati innititur, eique dignitatem et pretium tribuit; et sic quasi anima vitae spiritualis est: demum quia moralitas veritati innixa nondum consummatum hominis bonum est, felicitas accedat necesse est, non quidem vaga et arbitraria, sed proportionata moralitati, qua ex proportione felicitas verum praetium acquirit.

Vita ergo spiritualis, ut toti homini respondeat, simulque unitatem obtineat, in harmonia moralitatis et felicitatis, veritati innixa ceu suprema hominis destinatione consistit.

§. 11.

Inter conditiones obtinendae destinationis nostrae prima est libertas.

a) Libertas, de qua nunc sermo est, consistit in facultate voluntatis obsequendi vel stimulis a sensualitate, vel motivis a ratione oblatis; adeoque immunitatem a necessitate externa et interna, et facultatem seipsum determinandi importat.

b) Libertatem cuivis homini ipsa vox conscientiae mature, constanter ac firme annuntiat; deinde in singulis actibus humanis libertas sese prodit in consultatione, in electione, in approbatione interna, vel remorsu interno, et in judicio nostro de aliis; demum sine libertate nulla moralitas, nullaque dignitas hominis locum habet.

§. 12.

Conditio altera est immortalitas. a) Immortalitas importat continuam existentiae durationem, dein continuum propriae personalitatis sensum, ac denique continuum vitae statum, tum vitae praesenti, tum fini hominis respondentem.

b) Ad fidem immortalitatis nos provocant 1) facultates nostrae altiores, quae ad vitam continuam aptae sunt et ad eandem aspirant: 2) lex moralis, quae est immutabilis et perpetua; praesertim 3) ipsa destinationis nostrae natura. Summa quippe, ad quam in praesenti vita pervenimus, harmonia admodum imperfecta est: nam cognitio veritatis multis laborat defectibus tum in materia, tum in forma: moralitas a malo extirpando incipit, et continuo cum eo pugnat, obnoxia est periculo relapsus et a perfectione sanctitatis semper distat: felicitas turbatur malis physicis et moralibus, quae avertere in nostra haud est potestate,

et destituitur bonis, quibus parandis nulla cultura sufficit, et non nisi intuitu boni puri obtineri potest: harmonia autem in praesenti vita non cernitur. Alia ergo dari debet periodus, in qua plena destinatio nostra, quae finem nescit, perfectius obtinetur.

* Si datur immortalitas, omnia bene concordant 1) in vita hominis — brevitas nempe hujus vitae, quae status disciplinae et praeparationis ad alteram vitam est; difficultates virtuti, et illecebrae vitiis annexae, quae pugnae et victoriae campum aperiunt, et in altera vita compensantur; aerumnae, quae semina sunt felicitatis in futura vita; 2) in natura hominis — nimirum libertas, qua homo virtutis et beatitatis in altera vita impetrandae auctor fit; facultas cognoscendi et adpetendi, quae in vita immortali satiari potest; capacitas nostra magis ac magis proficiendi, quae spiritui immortali congruit: 3) in relatione hominis ad Deum, quia immortalitas perfectiones Dei clarius manifestat — sapientiam, quae immortalitatis spem et desiderium ceu motivum, et ipsam immortalitatis fruitionem ceu praemium, et id quidem aptissimum proponit; — bonitatem, quae per immortalitatem virtutem et bonum commune promovet; — potentiam, quae sapientiae consilia exequitur, et bonitatis beneficia confert etc. Sublata autem immortalitate omnia apto destituuntur fine, et discordant. cf. Rvd. Sailer: Einleitung in die Moralphilosophie p. 126 — 228.

§. 13.

Tertia, et quidem primaria, et conditionum quasi conditio est Deus, mundi universi auctor et rector justusque judex ac retributor,

a) Existentiam nempe mundi contingentis, mutabilis et finiti; immensam creaturarum varietatem, simulque mirabilem earum nexum, ordinem ac aptitudinem cogitare non possumus sine Deo creatore, qui omnia et singula potenter, sapienter et benevole disposuit, conservat regitque; qui, uti S. Paulus dixit Act. XVII. 27 sq. „non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus."

b) Attendentes ad altiores animae nostrae facultates, ad legem sanctam cordi nostro inscriptam, et ad supremam nostram destinationem non possumus non agnoscere Deum legislatorem, judicem ac retributorem sanctum et beatum, justum, benevolum ac sapientem.

c) Ratio denique ipsa Deum creatorem, rectorem, judicem ac retributorem ex natura sua adigitur credere infinitum et perfectissimum, in quo solo acquiescere potest.

* In Deo solo veritas est, sanctitas et beatitas; et sine Deo nullibi veritas, sanctitas, beatitas, et sanctitatis beatitatisque harmonia esse potest.

* Ex fide in Deum 1) legi morali firmitas et vis accedit completa; in Deo enim summa exhibetur moralitas, legique morali sanctio datur inevitabilis, suprema et efficax: 2) defectus in harmonia moralitatem inter et sanctitatem expletur; 3) spes naturalis nostrae immortalitatis stabilitur; Deus enim scit, vult et potest aeternam dare vitam, justamque retributionem.

§. 14.

Ut jam religio ipsa ex natura hominis deducatur, notio religionis magis accurata ejusque divisio indicari debet.

a) Religio, quae ex relatione Deum inter et creaturas rationales oritur, complectitur summam veritatum, quae relationem istam clarius et accuratius exhibent, et officiorum, quibus eadem relatio practice exercetur; objectiva, si summa ista veritatum et officiorum sua in natura spectetur; subjectiva, si ab homine assensu (agnitione Dei) acceptetur, et obsequio (cultu Dei) perficiatur.

b) Religio subjectiva, quatenus internis mentis nostrae actibus constat, interna; quatenus externis signis exprimitur ac promovetur, externa vocatur.

* Interna religio in religionem intellectus (theoreticam) et voluntatis (practicam) distingui solet.

§. 15.

Religionem jam objectivam dari, eamque unam esse; et subjectivam ad officium hominis pertinere, ratio statuit.

a) Quodsi enim Deus est, relatio etiam est inter Deum, creatorem, rectorem, legislatorem et judicem, et inter hominem, qui a Deo creatore venit, Deo legislatori et rectori subest, et judicium ac remunerationem Dei exspectat.

b) Quum una sit semper et ubique et ad omnes homines relatio Dei unius, una etiam objective religio datur.

c) Ingenuus quisque, qui aeternam illam relationem intelligit, eo ipso obligatum se esse novit, ut relationem istam assensu intellectus probet, et obsequio voluntatis perficiat, sive ut existentiam Dei firma fide credat, et omnes tum cognitiones, tum volitiones, tum sensiones ad Deum referat, omnesque actiones ad legem Dei componat.

§. 16.

Primum in officio religionis subjectivae est religio interna tam intellectus, quam voluntatis.

a) Sublimitas et summum rei momentum nisusque rationis in Deum exigunt, ut fundamentum fidei in Deum indagemus, perfectiones Dei et opera ipsius magis ac magis cognoscere studeamus, liberum praestemus assensum, nostramque de Deo cognitionem puram servare, et de die in diem perficere conemur.

b) Ex fide in Deum, si viva satis et certa sit, sensus nascuntur et studia: nempe sensus summae venerationis, gratitudinis, fiduciae, obedientiae filialis, amoris; studia vero omnibus officiis nostris, ceu sanctae Dei legi satisfaciendi; omnes res omnesque eventus religiose dijudicandi et adhibendi; omnes fines Dei tum in nobis, tum in aliis religiose promovendi. Ad nostrum ergo officium pertinet, ut sensus istos, et studia excitare in nobis, fovere et colere contendamus.

* Quae objici solent, facile solvi possunt ex hactenus dictis.

§. 17.

Cum religione interna conjungenda est religio externa, quae in externis vel symbolis vel actibus consistit, quibus interna religio exprimitur et promovetur.

Ipse enim sensus religiosus, quo magis vivus est in animo, eo certius foras prodibit, et per symbola sese manifestabit. Deinde ea est nostra natura, ut pro naturali ad res spirituales tractandas tum infirmitate, tum pigritia symbolis indigeamus, quibus et cogitationes et sensiones religiosae excitentur, foveantur, fulciantur et augeantur. Demum cum universa natura Deum dominum suum celebret suo modo, aequum sane est, ut nos corporis quoque nostri, tam eximiis beneficiis a Deo exornati, homagium praestemus Deo.

* Spiritum quidem religionis ignorant, qui in solis externae religionis actibus acquiescunt: verum pariter errant, et naturalem hominis indolem aut non attendunt, aut negligunt ii, qui religionis externae exercitium proscribunt. Quae objiciuntur, facile solvi possunt; nempe: 1) Deus spiritus est, nec eget cultu externo. R. Deus nec interno etiam eget: utrumque autem exigit, non quia ipsi, sed quia nobis prodest. 2) Pueri — non viri egent ritibus. R. Officium cultus externi in natura hominis, et religionis fundatur, quae natura in viris aeque ac pueris obtinet. 3) Cultu externo facile abutitur homo impurus, ut ab obsequio morali se eximat. R. Abusus hic praepediri et corrigi debet, non autem propter eum usus rectus tolli. 4. Religio nec capax est, nec indiga repraesentationis sensibilis. R. Signis externis et veritates et officia religionis indicari et excitari possunt, uti de baptismo declarari potest.

(5 Non

5) Non dantur ritus omni loco ac homini convenientes. R. Certe dantur aliqui ejusmodi ritus, quia una est relatio inter Deum et hominem, unaque omnium natura. Verum a lege rationis ipsi ritus non sunt determinati; et ut sapiens eorum delectus fieri possit, altior desideratur auctoritas, uti suo loco ostendetur.

§. 18.

Ex religione, si ad totum genus humanum respiciamus, oritur regnum divinum, omnesque homines se tanquam cives ejusdem agnoscere, et publice profiteri tenentur.

a) Quisquis perpenderit, omnes homines cum universo mundo visibili undequaque pendere a Deo, omnes regni divini notas adesse facile intelliget; regem nempe seu supremum dominum — (Deum) — cives (homines) leges tum cordi inscriptas, tum alio quocumque modo praescribendas a Deo, et finem omnibus communem.

b) Omnibus ergo et singulis officium incumbit, ut se ceu cives regni divini agnoscant, et ceu tales se gerant, et quidem publice, seu ut omnes ad commune religionis exercitium solemniter se conjungant: nam 1) omnes et singuli aequaliter sunt filii Dei, ad eundem destinati finem, et ceu tales se gerere debent; 2) per publicam ejusmodi conjunctionem fit, ut finis regni divini, ad quem omnes sunt obligati, majori cum facilitate, securitate et effectu promoveatur, ut impedimenta religiosae moralitatis removeri et media ad-

hiberi queant facilius, securius et efficacius. Unde 3) historia semper et ubique publicam ejusmodi consociationem exhibet, quam et stimulus socialis, et ipsa natura hominis, a sensibus pendentis, exigit. cf. Dalberg: Ueber das Universum: und Galura: Neueste Theologie: Vorrede zum II. und III. Bande.

* Publica hominum conjunctio ad commune religionis exercitium alio nomine ecclesia vocatur, cui quivis se associare debet ex studio aedificationis — propriae, ut ab aliis adjuvetur; et alienae, ut alios adjuvet in fovenda et exercenda religione.

§. 19.

Corollaria. I. Commune religionis exercitium dies festos, templa, ritus convenientes, qui verbis et symbolis constant, et statum ministrorum sacrorum exigit. cf. Dobmayer l. c. p. 321. sq.

II. Sicut in alio quovis regno, ita in divino regno constitutio est necessaria, quae summam legum et institutorum, ad obtinendum regni divini finem a legitima potestate determinatorum importat.

III. Hanc constitutionem cum pleno effectu solus Deus dare potest; utpote qui solus semper et ubique omnium dominus est.

IV. Ecclesia, suae si conformis sit constitutioni, insignes in humanitatem et civitatem effundit fructus: benigni enim effectus, quibus religio homines beat, subsidio ecclesiae in totum genus humanum diffunduntur; civitati autem ecclesia firmissimum salutis publicae fulcrum praebet per religionem, quia sacrat finem, leges et vinculum

civitatis; quia tollit impedimenta, maxime clandestina, quibus removendis princeps par non est; quia procurat, fovetque medium, quod in potestate principis non est, nempe ordinatum sui ac proximi amorem, a quo quidem salus publica maxime pendet.

Caput II.

Insufficientia religionis naturalis sive rationalis.

§. 20.

De pretio religionis, cap. I. deductae, diversae vigent sententiae, quas examinare oportet.

a) Nimirum 1) fuerunt et sunt, licet pauci, qui religioni naturali sive rationali aut omnem denegant veritatem, aut tenuem non nisi speciem veritatis ei tribuunt; 2) fuerunt, et hodie praesertim sunt multo plures, qui soli religioni naturali sive rationali acquiescendum esse asserunt, et revelationem aut omnino rejiciunt vel ceu impossibilem, vel ceu inutilem, vel ceu confictam et damnosam, aut eandem ceu temporarium pro infirmis adminiculum admittunt, et donec plene genus humanum maturescat, caute adhibendam praecipiunt; 3) media demum quasi via incedunt, qui veritatem religionis naturalis in se agnoscunt, simul tamen indigentiam et beneficium revelationis praedicant, quae finitudini et infirmitati rationis succurrit.

b) Ex hac jam opinionum diversitate in re tanti momenti fluit necessitas examinis, et ejus quidem severi ac ingenui, simul tamen modesti tum propter conditionem facultatis nostrae adeo limitatae, tum propter sanctitatem religionis.

§. 21.

Examen istud non de objectiva, sed de subjectiva religione naturali instituitur.

a) Objectiva religio rationalis, prouti ea in ratione et natura hominis vere fundatur, et ex utraque recto ordine progredi potest, ac debet, vera est.

b) Subjectiva autem, prout ea nempe in hominibus juxta consuetum quasi rationalis culturae cursum existere solet, hominibus non sufficit, sive homines, sibi solis relicti, et ex solo facultatum suarum naturalium usu ad eam religionis cognitionem, quae necessaria est et sufficit, pervenire non possunt.

* Cognitio religionis, quae omnibus necessaria et sufficiens est, debet esse non tantum clara, certa et firma; sed etiam efficax de Deo auctore, rectore, judice ac remuneratore etc. de officiis nostris; de conveniente cultu externo tam privato, quam publico etc.

** In toto hoc negotio non ad populum, ut ajunt, sed ad hominem, ad naturam nempe hominis, ad culturam ejus, et ad finem ejus completum; et ad totum genus humanum, in ecclesia coadunatum espicere oportet.

§. 22.

Insufficientia religionis naturalis primo ex historia religionis naturalis colligitur, quae in tres periodos dividi potest.

Prima periodus statum religionis naturalis ante christianam religionem exhibet, qua in periodo, cum omnes gentes, exceptis Judaeis, revelatione caruerint, clarius conspici potest, quid ratio sibi relicta valeat; altera eum usque ad medium saec. XVII. prosequitur, qua in periodo melior religionis naturalis notitia — ex evangelio — per orbem diffusa fuit: tertia eundem ad nostra usque tempora deducit, qua in periodo naturalismus primum in Anglia, tum in Gallia, ac demum etiam in Germania prodiit.

* In hac historia religio populi et sophorum discerni debet. cf. Dobmayer tom. II. p. 395 — 436.

§. 23.

Prima periodus tristem religionis naturalis statum exhibet

a) apud populum: populi enim, qui a traditione patriarchali recesserant, et ab Israelitis separati erant, Chaldaei, Aegyptii, et ipsi Graeci ac Romani, prae caeteris alioquin exculti, 1) non solum polytheismum, sed crassam adeo idololatriam cum omnigena superstitione fovebant; 2) cultum veri Dei internum nullibi invenimus, sed mere externum, qui ceremoniis et sacrificiis non tantum vanis, sed etiam partim obscoenis, partim crudelibus constabat. cf. Stolberg Gesch. d. Relig. III. B. Beylage. Unde enormis morum corruptio, perversis deorum exemplis suffulta,

invaluit. 3) Ecclesiam sive societatem religiosam ad promovendam verae religionis cognitionem et exercitationem frustra quaeris in hac periodo; omnia enim vel ad fines politicos principum; vel ad commodum sacerdotum erant ordinata.

b) apud Sophos: inficiari quidem non licet, quod Pythagoras, Socrates, et Plato inter Graecos, et Cicero inter Romanos insaniam idololatriae agnoverint, et in animo suo reprobaverint; egregia multa praeceperint etc. sed 1) nec apud singulos, nec apud omnes completus religionis rationalis complexus extat; imo vero haud leves occurrunt defectus et errores circa conceptum de Deo, circa gravissimam de divina providentia doctrinam, quam alii negant, alii extenuant aut in dubium vocant, circa immortalitatem; circa ipsam doctrinam moralem, ubi odium inimicorum suadent, expositionem parvulorum, et flagitia certis diebus in honorem deorum permittunt, simulque insanum deorum cultum apud populum tolerandum dicunt: 2) praeterea exigui fructus ex philosophia in genus humanum emanarunt: philosophi etenim religionem publicam emendare nec poterant tum ob dissensum sectarum, tum ob subtilem speculationem, tum ob dissentientem a doctrina vitam; nec volebant, utpote qui secretum affectabant, et principium illud: „Expedit falli in religione civitates“ tuebantur, demum quia timebant cum Anaxagora in exilium ejici, vel cum Socrate ad mortem damnari.

* Equidem puriorem doctrinam in sic dictis mysteriis fuisse traditam, multi dictitant; sed non probant. Societas occulta naturae et fini religionis, quae ad omnes homines pertinet, non convenit, et politica

potius consilia ostendit; praeterea haud pauca in istis mysteriis fuisse turpia, historia docet. cf. Beda Mayer I. Th. §. 122.

** Ut clarius appareat, quid ratio sibi relicta valeat, et quid revelatio praestet, Judaeos cum Graecis et Romanis, Prophetas cum Sophis, et Mosen cum Socrate et Pythagora comparasse juvabit.

§. 24.

Post Christum — in secunda periodo — felicior religioni naturali lux affulsit, verum ex beneficio evangelii.

a) Gentes, quae evangelium susceperunt, puriores, et firmiores de religione naturali notitias ex institutione christiana, non ex ratione acceperunt; reliquae autem gentes iisdem adhuc tenebris involutae, iisdemque vitiis adhuc immersae jacuerunt.

b) Philosophi christiani, nempe Ss. Patres, et doctores christiani praecipua doctrinae capita ex evangelio hauserunt; cf. Stolberg tom. VIII. p. 180. philosophi gentiles, Seneca, Epictetus, et Marcus Antoninus puriorem et ampliorem religionis doctrinam tenuerunt; sed 1) eam cognitionis perfectionem debebant revelationi, quam ex libris christianorum sacris, ex confessionibus martyrum noverant; unde ipsissima saepe s. scripturae verba repetunt; demum cum Seneca, Epictetus et M. Antoninus Socratem et Ciceronem nec ingenio, nec studio veri superent, major illa perfectio aliter nequit explicari. 2) Praeterea apud hos ipsos etiam triste illud solatium: „Sic fata ferunt“ et abjectum istud: „Patet exitus“

aliique philosophiae stoicae defectus inveniuntur praesertim circa veram ecclesiam constituendam.

* Alii philosophi, Celsus et Lucianus, Porphyrius, Hierocles et Julianus apostata, qui gentilismo venustiorem formam conciliare studuerunt, et christianam religionem impugnarunt, eo ipso ejusdem notitiam habebant et adplicabant.

§. 25.

Periodus tertia naturam et conatus naturalismi sive rationalismi exhibet; qui tamen auctoritatem suam tueri nequit.

a) Inde a medio saec. XVII. multi veritates religionis naturalis in systema redegerunt, cui aliqui ita securi acquiescere coeperunt, ut putent et asserant, genus humanum beneficio revelationis carere, et in sola religione naturali subsistere posse. 1) Hanc assertionem, a Socinianismo et Protestantismo praeparatam, primo Angli promulgarunt, Cherbury, Schaftesbury, Collin, Tindal, Morgan, Bolingbrok, Woolston etc. quos comitatus est Voltaire cum sectatoribus plurimis, dein Rousseau, Marmontel in Belisario, Volney (in den Ruinen) et secuti demum sunt Germani, uti Fragmentista, Horus, Barth, et praeter alios auctor libelli: „Neue Erde, neuer Himmel;“ qui omnes naturalistae, theistae, libertini, fortes spiritus, et philosophi vocari consueverunt. 2) Circa finem saec. XVIII. — duce potissimum Kantio — non pauci, qui nomine christiano censeri, et non raro munus pastoris aut professoris theologici obire non verentur, illuc omnes dirigunt conatus, ut sola religio naturalis ubique dominium obtineat, revelationem vel

pro beneficio temporario plebis infirmae, vel pro vehiculo naturalismi habentes et adplicantes.

b) Hanc talem solius naturalis religionis vim tueri non possunt viri isti: nam perfectam illam religionis naturalis cognitionem a pueris ex institutione christiana jam acceperant, ipsi inter se dissentiunt in statuendis religionis naturalis capitibus; fidem de providentia divina, de statu alterius vitae etc, satis firmam reddere non valent; aliqui ex his recentioribus philosophis veterum atheorum errores resuscitarunt et cum Humio et Baylio omnem cognitionis humanae certitudinem tollere voluerunt. cf. Sibylle der Religion p. 201 sqq. „Die Plane der Menschen."

* Religio populi est vel mono — vel polytheistica, prout ea vel revelationi, vel solis viribus naturalibus innititur. Qualem vim habeant conatus naturalismi ex theophilanthropismo in Gallia didicimus. cf. Staeudlin Beytraege zur Philos. und Geschichte der Religion. I. Th. S. 242 sqq. III. Th. S. 368 sqq.

§. 26.

Corollaria. Ex historia per sex millia annorum constat,

I. rationem prima religionis elementa evolvisse, eaque sensim ad majorem perfectionem evexisse; nullibi autem vel religioni vel ecclesiae suffecisse:

II. Fidem revelationis semper viguisse, uti ex oraculis gentilium, ex legislatoribus ad eam provocantibus, et ex voto Socratis apud Platonem in Alcibiade II. discimus.

III. Unde rationis sufficientia tuto hodie nequit asseri; sed revelatio est optabilis, ut indigentiae, historice saltem universali, apte et plene succurratur.

* Verum ut historica insufficientia religionis naturalis explicetur et confirmetur, ipsam hominis naturam consideramus.

§. 27.

Ab historia dum ad hominem convertimur, facile intelligimus, eum parem non esse negotio religionis sustinendo.

a) Longe maximae hominum parti ad parandam propriis conatibus religionis notitiam, et eam quidem convenientem et efficacem deest tum tempus — ob innumeras res externas, quae hominem circumdant, et afficiunt, ob curas et labores in vita humana necessarios etc. tum voluntas bona negotium istud suscipiendi et perficiendi; obstat enim sensualitas, quae citius et fortius se exerit, quam ratio; obstat vis phantasiae, quae et cognitionem et efficaciam religionis turbat, retardat, et impedit; obstat vis exemplorum malorum; obstat inprimis ipsa propensio ad malum, torpor et pigritia mentis et animi ad res spirituales profunde et constanter tractandas.

b) Praecipue autem omnibus deest facultas completa, qua sibi necessariam parent religionis cognitionem: neque enim sufficit 1) experientia, sive ex-sive interna, cum religio non sit objectum experientiae hominesque per contemplationem mundi tum physici tum moralis non nisi

ad aliquas religionis veritates intelligendas, et quidem tarde, et cum multiplici erroris periculo pertingere possint: 2) neque ratio sive communis, ut ajunt, sive philosophica; rationis quippe communis vocem tot inter curas temporales, et inter tanta impedimenta interna homines nec satis clare percipiunt, nec satis attendunt et reverentur; rationis autem philosophicae functionibus rite obeundis paucissimi sunt pares, et aliunde illi ipsi, qui inter philosophos celebrantur, quam maxime dissident tum de ipso valore rationis, tum de capitibus religionis ex ea deducendis: 3) neque auctoritas mere humana, quae quidem fons est largissimus, ex quo jamjam a pueris nostras notitias haurimus et perficimus; quae tamen sola in negotio religionis nec certam et solidam praestat cognitionem; (quis enim de scientia et sinceritate docentium certus esse fierive posset?) nec valet ad genuinum religionis exercitium promovendum; quis enim talem tantamque habet, et habere cognoscitur auctoritatem, cui reliqui omnes et possint et debeant assurgere praesertim in tanto doctorum ipsorum dissensu?

c) Ipsa ergo naturae humanae consideratio insufficientiam religionis naturalis confirmat, et objectiones solvit, quae ex historia religionis non satis completa, et ex spe ulteriorum et feliciorum rationis progressuum peti solent.

§. 28.

Ipsa denique religionis naturalis indoles sive conditio insufficientiam ejusdem plene evincit.

a) Inprimis quidem dantur veritates, pro emendatione et morali perfectione promovenda, et pro solida animi tranquillitate et firma spe maxime necessariae, quarum notitiam, omnino sufficientem, ratio per se solam praebere nullatenus potest; v. g. de futura aeterna, eaque summa beatitate pro virtute brevi et imperfecta; de poenis vitae alterius; de origine, et mediis genuinis innatae nobis ad malum propensionis; quae spes relicta sit peccatori et poenitenti? quid peccatori facere conveniat, et expediat plene? etc.

b) Omnis dein nostra religionis cognitio, ex solo facultatum naturalium usu petita, tarda est, nec satis secura, nec tam firma, nec tam efficax, prouti oportet: veritates enim religionis circa res, in facto positas, et ad mundum altiorem spectantes versantur, pro quibus testem et statorem authenticum habeamus necesse est.

c) Praesertim vero, ubi de regno Dei ordinando, sive de constituenda ecclesia agitur, quis ea pollet sapientia et auctoritate, ut pro omnibus omnium locorum ac temporum hominibus veritates et leges promulgare, ceremonias omnibus convenientes et sufficientes, locum et tempus cultus publici determinare, et ministros sacros instituere et sciat et valeat ita, ut omnes assensum et obsequium praestare tuto possint ac debeant?

* Regnum Dei regendum est ab ipso Deo. Quodsi ecclesiae dispositio humanae sapientiae brevi, inconstanti ac fragili relinquatur, nec stabilis, nec firma consistere potest. Bone Deus! ignosce creaturis tuis — hominibus istis, qui rationem, donum illud tuum,

adversus te insano usurpare audent conatu! Prov. XXIX, 18. „Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est.“

§. 29.

Corollaria I. Historia per sex millia annorum testatur, nullibi extitisse puram et integram religionem naturalem. cf. Sambuga: Sammlung verschiedener Gedanken von Stapf. München 1818. S. 21. 41. 86 etc.

* Qui nostris diebus systema religionis rationalis confecerunt, notitiam veritatum in systemate suo propositarum jam a pueris ex catechismo hauserant.

II. Consideratio naturae humanae ostendit, quod nec in posterum puram et integram religionem — mere naturalem — sperare liceat.

* Ex naturalistis et rationalistis quaerere licet et oportet, ubinam locorum et gentium habitet, vel in cujus cerebro resideat ratio illa, ex qua religio rationalis in lucem prodire et ad omnes homines permeare possit ac debeat.

III. Ipsa religionis naturalis conditio docet, eam hominibus non sufficere.

IV. Altiori ergo ipsius Dei auxilio vel instituto in negotio religionis feliciter perficiendo indigemus.

* Quale sit illud Dei institutum, ratio a priori determinare nequit; sed ex historia indagare debet, quae semper revelationem exhibet.

Caput III.

De revelatione generatim.

§. 30.

Cum communis sit hominum persuasio, altiorem illam opem divina revelatione collatam fuisse, diversaeque circumferantur religiones revelatae, firma ac lucida statui debent principia, juxta quae revelatio genuina certo agnosci, et a spuria dignosci possit. Unde 1) ostendi debet possibilitas revelationis; secus frustranea esset ulterior indagatio: dein 2) characteres ejus sunt assignandi, ut de data revelatione rectum ferri judicium queat; demum 3) de propagatione ejus dicendum est, ut constet, quomodo facta olim revelatio acceptari a posteris valeat.

* Paris periculi est, revelationem veram repudiare, ac falsam acceptare. Accuratam argumenti hujus tractationem inprimis genius aevi nostri exigit: revelationem enim alii negant, alii in dubium vocant, alii demum sub diversis formis eam acceptant.

Sectio I.

Possibilitas revelationis.

§. 31.

Ut possibilitas revelationis ostendi possit, notio ejusdem ingenue et accurate prius definiri debet.

a) Revelatio in sensu stricto dicitur actio Dei supernaturalis et immediata, qua hominibus veritates ad religionem et regnum Dei pertinentes communicantur.

* Non est hic sermo de revelatione Dei ordinaria, et universali per naturam, rationem et conscientiam Rom. I, 19 sqq. II, 15. neque de extraordinaria, attamen mediata tantum, ubi Deus per singularem providentiam meliori religionis cognitioni et propagationi consulit: sed de supernaturali et immediata.

b) Ut jam notio data clarius intelligatur, analysin ejusdem dare juvat. In ea nempe notae quinque occurrunt: 1) Deus auctor revelationis, qui vel per se, vel per ministros singulares revelat; 2) homo, subjectum, cui fit revelatio, et cujus indigentiae et capacitati accommodatur; 3) actio, qua fit revelatio, seu forma, quae in miraculo, vel certe in singulari eventu, ad revelationem expresse destinato, consistit; 4) veritas, quae revelatur, seu materia, quae non tantum moralis, sed etiam theoretica esse potest; demum 5) relatio ad religionem seu finis, ut per eam vera religio et regnum Dei et finis ultimus hominum promoveantur.

* Circa revelationem 1) tria discernenda sunt, nempe revelatio ipsa, seu actio; dein religio revelata; demum documentum revelationis, in quo religio revelata continetur: 2) simulque revelatio distingui debet ab inspiratione, quae intellectum et voluntatem auctoris ad consignationem scripturae sacrae afficit et dirigit.

§. 32.

Revelatio supernaturalis et immediata inprimis logice possibilis est, seu conceptus talis revelationis immunis est a contradictione, et cogitari potest: notae enim, quae in hoc conceptu insunt, sibi non contradicunt, sed consentiunt.

* Cum non omnia, quae cogitari possunt, eo ipso etiam in mundo praesenti existere et ad finem ultimum conducere possint, ulterius de physica et morali revelationis possibilitate quaeritur: ubi verba cl. Dobmayer bene attendenda sunt. Die Vernunft fühlt nie ihre Schwaeche mehr, als wenn sie untersucht, was Gott thun könne, wolle und solle. — 1. Eine Entscheidung hierüber geben, ist profane Arroganz, weil uns die göttlichen Vollkommenheiten, die Art, wie Gottes Macht wirkt und die Welt regiert, die innern Gründe und Absichten unbekannt sind. 2) Aber wir müssen doch aus dem Standpunkte für Menschen die Möglichkeit der Offenbarung aufsuchen: theils weil ohne sie die Frage über die Wirklichkeit aufhört, theils weil der Zeitgeist hierüber verschiedene Meinungen äussert.

§. 33.

Physica etiam revelationis possibilitas intelligitur:

a) ex parte Dei, qui pro infinita sua potentia qua Dominus naturae signis externis, symbolis et imaginibus in oculos hominum, vel vocibus articulatis in aures eorum, et qua Dominus spirituum in mentem hominum agere potest afflatu, extasi etc.

* Man

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

* Man mufs schon eine Kaussalitaet Gottes mit Wirkungen in der Natur bey der Schoepfung, Erhaltung und Vorsehung annehmen. — Warum will man die unendliche Macht auf blosse natürliche Anstalten zur Belehrung der Menschheit einschraenken, da doch wir selbst positive Anstalten zur Mittheilung unserer Kenntnisse treffen koennen und sollen?

b) ex parte hominis, qui in religione, cujus partem aliquam jam tenet, proficere potest et debet, hancque perfectionem sicuti ex humana, ita etiam ex divina institutione recipere potest.

* Warum will man den Menschen, der doch von Gott sein Dasein und Wesen hat, und ganz unter Gottes Leitung steht, so weit von Gott entfernen? — Wir haben Rezeptivitaet zum mittelbaren Unterricht von Gott, warum nicht zum unmittelbaren durch innere Eingebung, und äussere Kundmachung, welcher gewifs von dem Lehrer, der unsere Natur, als sein Werk kennt, nach unsern Anlagen wird eingerichtet seyn?

§. 34.

Sed et moralis possibilitas revelationis in dubium vocari nequit; sive revelatio aptum medium est ad promovendum finem ultimum, et moralibus Dei perfectionibus non repugnat; sed potius convenit.

a) Ex parte enim hominis, uti cap. II. ostensum est, in negotio religionis existit indigentia altioris auxilii, auctoritatis et instituti; eaque est 1) universalis — respectu populi aeque ac doctorum, et 2) amplissima — respectu doctri-

narum tum theoreticarum, tum practicarum, et respectu cultus externi, et ecclesiae rite et efficaciter constituendae et regendae:

b) Revelatio autem divina aptissimum est medium ad sublevandam istam indigentiam et ad praepediendam majorem corruptionem; divina enim auctoritas omnibus et omni sub respectu sufficit; citius certe, facilius et securius divinae credimus auctoritati, falli et fallere quae non potest, et efficacius divina regimur auctoritate, quam agnoscere et revereri omnes debemus.

c) Ergo optare et sperare convenit, fore, ut Deus pro sua sapientia, sanctitate et bonitate revelationem, aptissimum illud medium, nobis largiatur, et tali modo se ceu rectorem et gubernatorem moralem, et ceu educatorem generis humani in negotio longe gravissimo exhibeat.

Sectio II.

Characteres verae revelationis.

§. 35.

Quodsi Deus actu hominibus revelationem largiatur: opus est, eam insiguiri characteribus sive notis, quibus revelatio vera agnosci, et a spuria dignosci possit; secus enim revelatio rationabili assensu a nobis acceptari, et congruo obsequio exerceri non posset.

a) Characteres isti, siquidem revelatio pro omnibus hominibus destinetur, debent esse 1) per-

spicui, ut facile a quovis intelligi queant; 2) certi, ne dubitationi in re tam gravi locus relinquatur; et 3) completi, ut simul sumti verae tantum, non falsae revelationi conveniant.

b) Ii duplicis generis esse possunt, nempe interni ex materia, et externi ex forma revelationis desumti, ita, ut tum materia, tum forma auctori — Deo — et subjecto (homini) et fini ultimo non tantum non repugnet (negativi); sed etiam consentiat (positivi characteres.)

* Licet ratio ex se determinare non possit, quid, et quo modo, quo actu Deus revelare debeat; juste tamen statuit, in revelatione, sicut in quavis actione Dei, omnia ita se habere, ut perfectionibus Dei, naturae et indigentiae hominum, et fini ultimo non repugnent; sed conveniant.

** Data characterum divisio genuina est, utpote ex omnibus notis revelationis constitutivis desumta. cf. §. 31.

*** Circa characteres internos respicere licet tum ad doctrinas ipsas, quae revelantur, tum ad modum, quo eaedem proponuntur.

§. 36.

Quod jam ad argumentum, sive ad doctrinam ipsam attinet, character

a) negativus is est, ut nulla ejus pars repugnet doctrinae, quam ratio jamjam de regno Dei morali statuit: secus enim 1) nec a Deo venire, qui non contradicit notitiis, quas ipse per rationem nobis offert; 2) nec ab homine accep-

tari, qui homo esse desinit, si a ratione discedat; 3) nec ad finem regni Dei servire potest, cujus natura et leges nobis primum per rationem, divinitus datam, annuntiantur.

* Facile est, negativos ejusmodi characteres statuere, quod revelata non possit esse religio, quae repugnat veritati, falsos de Deo offerens conceptus (v. g. gentilismus) vel moralitati (v. g. Muhamedanismus persecutionem hominum injungens, inanes ritus in locum moralitatis surrogans) vel felicitati v. g. occisionem sui, vel rebellionem jubens. Verum cum ii potius ad dijudicandam falsitatem spuriae, quam ad veritatem genuinae revelationis serviant, positivos quoque characteres considerare oportet.

b) Positivus autem in genere is est, ut argumentum revelationis constet veritatibus ad regnum Dei pertinentibus, necessariis vel certe utilibus, et antea ex parte saltem incognitis: a Deo enim non nisi veritas venire potest, et quidem non sine sapiente et magno consilio, et in subsidium hominum in negotio gravissimo.

§. 37.

In specie revelatio non tantum capita doctrinae rationalis de regno Dei, sed etiam supernaturales, sive positivas veritates continere potest, et verosimilius continet.

a) Revelatio veritatum etiam rationalium non solum populo, sed doctis etiam maturiorem, faciliorem, clariorem, et magis securam ac efficacem earum cognitionem praestat. Unde Deus rationi tardae, fluctuanti et infirmae per revelationem pro sua benignitate succurrere censendus est.

b) Positivas veritates quod attinet, sive tales, quas ratio sua ex natura non evolvit, certe ejusmodi veritates dantur, quia ratio nostra finita et infirma universum veritatum religiosarum complexum non exhaurit: Deus autem, quia pro omniscientia sua eas novit, easdem non tantum potest revelare, sed et verosimilius revelat pro infinita sua bonitate, qua continuam hominum curam gerit, et per revelationem talium veritatum illustrationem, et spem nostram perficit novumque virtutis studio robur addit.

* Quodsi rem istam altius indagemus, facile intelligimus, ulteriorem ejusmodi revelationem non solum possibilem, sed etiam optabilem esse 1) in parte religionis theoretica, ut de perfectionibus divinis amplior et certior notitia nobis paretur, ut origo status nostri corrupti, ejusque restauratio, et consilia ac instituta divina ad nostram salutem pro hac et pro altera vita nobis innotescant; 2) in practica, ubi novum cultus, gratitudinis et obedientiae nostrae objectum v. g. redemtor nobis patefieri, nova, aut saltem altiora et efficaciora virtutis motiva suggeri, et officia poenitentiae rite et cum effectu agendae indicari possunt; 3) praesertim circa cultum externum, ubi ratio sola in selectu rituum sacrorum, rectoque eorum usu ordinando et promovendo multipliciter errare potest, nec etiam sufficientem habet auctoritatem; et circa institutionem et constitutionem ecclesiae, ubi auctoritas Dei requiritur. Gott, der weifs, was im Menschen, kann die besten, allgemeingeltenden und immer dauernden Zeremonien vorschreiben, die als Bilder für die Sinnlichkeit, als allegorische Darstellungen für den Verstand, und als Symbole für die Vernunft dienen. Er allein kann mit dem rechten Gebrauche dieser

Zeremonien die Verheissung des übernatürlichen göttlichen Beystandes verbinden, oder Gnadenmittel einsetzen. Dobmayer l. c. p. 549.

§. 38.

Specialem mentionem mysteria merentur, quibus hodie multi offenduntur. Unde eorum notionem et concordiam cum ratione exponere ac officium fidei ostendere oportet.

a) Mysterium dicitur veritas supernaturalis theoretica, cujus veritas ex revelatione innotescit, rationes autem internae, modusque post factam etiam revelationem adhuc latent. In mysterio ergo adest conceptus objecti, fundamentum veritatis, licet ignorentur internae rationes, et relatio ad moralitatem et felicitatem.

b) Concordiam mysteriorum cum ratione colligimus, quia 1) ratio humana in natura et in homine non pauca credit, quorum internam rationem et modum nec perspicit, nec explicare valet; et in theologia rationali Deus ipse primum et summum nobis mysterium est: 2) Deus autem, cui nuda et aperta sunt omnia, quae nobis impervia sunt, quaedam eorum ex parte saltem nobis detegere et manifestare potest.

* Ratio circa mysteria multiplicem habet functionem 1) in formando conceptu, 2) in fundamento fidei ponderando, 3) in fine mysterii revelati ejusque nexu cum pietate et spe nostra indagando; 4) in conatu modesto mysterii ex analogia quadam illustrandi.

c) Officium fidei — supposita revelatione — in agnita Dei revelantis auctoritate fundatur, et ex multiplici mysteriorum cum religione nexu vindicatur. cf. theol. Monatschr. von Linz VII. Jahr. I. B.

* Fides, mysteriis revelatis adhibita, in se jam est bona, utpote agnitio nostrae finitudinis et veneratio omniscientiae et veracitatis divinae; ad alias religionis doctrinas vel illustrandas, vel confirmandas servit; spem et votum cognitionis perfectioris in altera vita obtinendae excitat et nutrit; et motiva pietatis suggerit. „Gottes Authoritaet kann nicht nur bestimmen, was wir thun, sondern auch, was wir glauben und hoffen sollen."

§. 39.

Modum, quo veritates a revelatione proponuntur, ratio divinae potius relinquit sapientiae, quam ut eundem Deo quasi praescribere praesumat.

a) In genere tamen talem expectat, qui Deo dignus, facultati humanae accommodatus, et ad finem conveniens sit.

b) In specie circa tres methodi bonae proprietates supponit 1) claritatem tantam, quanta naturae singularum veritatum, hominis capacitati et destinationi revelationis congruit, et quae ad prudentem fidem, instituto serio examine praestandam sufficit: 2) soliditatem, quae tamen non nititur argumentis subtilibus, utpote quae philosophis forte, non toti generi humano congruunt; sed potius vel solis Dei infallibilis effatis, vel symbolis et factis, divinitus productis vel dispositis; vel etiam, si natura argumenti id permittat, provocatione ad sa-

nam rationem et experientiam: demum 3) ordinem, sapientissimis Dei revelantis consiliis accommodatum; qui quidem duplex distingui solet, nempe ordo rerum, ubi in revelatione non systema plene determinatum exigi potest, utpote toti generi humano et spiritui religionis, quatenus is in vita sese exerere debet, non conveniens; sed methodus popularis revelationi quam maxime respondet: et ordo temporum, juxta quem revelatio omnes suas veritates non uno tempore, sed successive tradet; simul tamen eas ita connectet, ut totum aliquod historicum oriatur: revelatio enim capacitatis et indigentiae humanae rationem habet.

* Quisquis hactenus dicta attentius perpenderit, facile intelliget, ea fere ex historia revelationis a Deo factae esse deducta.

§. 40.

Characteribus internis addi debent externi, ex forma petiti, sive ex actione divina, qua in hominibus notitia doctrinae revelatae procuratur.

a) Interni enim characteres tantum probant, quod religio, iis insignita, possit esse revelata; dein internos characteres docti, id est, pauci rite examinare et dijudicare valent; demum uti materia, ita et forma divinae originis suae indicia haud dubia certe continet, ut agnosci et dignosci queat.

b) Characteres isti externi distinguuntur alii apud legatum divinum, qui revelationem ab ipso Deo accipit; et alii apud eos, qui eam ex ore legati divini hauriunt. Licet enim

revelatio pro omnibus sit destinata, Deus tamen, miraculorum haud prodigus, primo uni vel aliquibus eam verosimiliter dat, a quibus eadem reliquis sit communicanda.

* Quaerunt hodie multi, quomodo legatus divinus certior fieri possit, se hic et nunc revera a Deo recepisse revelationem? R. A nobis plena dari non potest explicatio: sed sufficiat scire, quod Deus pro sua sapientia et potentia revelationi suae perspicuas suae virtutis notas tribuere possit, et sine dubio tribuat, ex quibus legatus divinus eam agnoscere, et ab inventis ingenii atque commentis phantasiae discernere valeat. Wenn ein jeder Fürst seinen Gesandten von seinem Willen und Auftrage überzeugen kann, warum wollen wir Gott eine gleiche Macht nicht auch zugestehen?" — Juvat tamen modestam cl. Dobmayer explicationem addere: „Si 1) veritas ipsa, quae legato obversatur, sancta sit et salutaris, inprimis potest ea a Deo originem habere; 2) quodsi veritatis hujus novae, et admodum vivae originem legatus in historia suae culturae, suique status haud inveniat, altior ejus origo jamjam verosimilis redditur: 3) si demum accedat declaratio divina, eventu quodam externo, vel ante praedicto, vel miraculoso confirmata, certitudo sufficiens enascitur. Talis enim declaratio non potest non ad Deum referri. cf. historiam de vocatione Mosis.

§. 41.

Legatus divinus a coaevis, quibus factam sibi revelationem annuntiare debet, qua talis agnosci, et ab impostore et fanatico discerni potest

a) tum ex bono suo charactere, tum ex mediis, quibus ad propagandam revelationem utitur, veritati annunciandae accommodatis et Deo dignis;

b) potissimum autem ex factis promulgationem comitantibus, qualia sunt miracula et prophetiae, uti omnis retro antiquitas credidit, fides Judaeorum et Christianorum ostendit, et conatus theistarum — miracula et prophetias omni sub respectu impugnantium — probat.

* 1) Quae de bono legati charactere monui, de primo religionis revelatae praecone valent: nam si fides revelationis jam sit stabilita, pravus posteriorum praeconum character ejusdem veritati non obstat. 2) Id ipsum de mediis, quibus revelatio primis temporibus introducitur, et de mediis, quibus eadem subsequis temporibus conservatur, vel diffunditur, dicendum est. 3) Bonus legati character et digna promulgationis media verosimilitudinem tantum praebent; miracula autem et prophetiae certitudinem.

** De miraculis et prophetiis agentes, eorum notionem, possibilitatem, veritatem et vim probandi stabilire debemus: haec enim quatuor nostris diebus in quaestionem vocantur.

§. 42.

Miraculum dicitur eventus extraordinarius et supernaturalis:

1) eventus quidem, seu aliquid, quod in natura fit, et apparet, seu ab hominibus percipitur; cujus igitur ratio possibilitatis in natura con-

tinetur: 2) extraordinarius, qui non contingit juxta consuetum naturae ordinem, adeoque rationem existentiae non habet in lege aliqua naturali: et 3) supernaturalis, qui a sola Dei virtute immediate influente seu agente provenit, adeoque in immediata Dei caussalitate rationem existentiae habet.

* Miraculum 1) distinguitur ab eventu naturali, a prodigio naturae, a praestigiis daemonicis; et 2) in miraculo vel sola Dei omnipotentia agit, vel Deus ministris et rebus naturalibus singulari modo praeformatis utitur. 3) In s. scriptura miraculum vocatur portentum — ob eventum insolitum et causam occultam; signum, cui inest significatio praesentis et agentis Dei; digitus, brachium, manus Dei — propter divinam, quae operatur, virtutem.

§. 43.

Miracula possibilia sunt:

a) logice quidem, quia notio miraculi notas contradictorias non involvit; ac proin a ratione sana et culta cogitari potest:

b) physice: Deus, qui illimitata caussalitate pollet, uti continuo in naturam agit, ita etiam singulari actione agere potest: natura autem, quae utique tota Deo paret, sicuti datas ab ipso leges servat, ita etiam alios eventus ex singulari Dei actione recipere potest.

* Leges naturae 1) sunt quidem necessariae; verum non ex sua essentia; sed ex ordinatione a Deo facta, et quatenus Deus ipse pro casu aliquo singulari easdem non interrumpat: 2) sunt quidem optimae — pro cursu naturae ordinario; ad

consilium tamen altius et singulare singularis etiam eventus aptius medium esse potest, quam eventus naturalis.

** Die Seele wirkt im Körper, der Mensch in der Natur, und Gott soll in seiner Welt nicht unmittelbar wirken koennen? — Ipsi adeo homines quodammodo consuetum naturae ordinem interrumpere, mutare eique obviare singulari ingenii viriumque nisu valent.

c) et moraliter: homines enim, quibus quotidiana naturae spectacula obsolescunt et vilescunt, miraculo fortius moventur ad Deum qua dominum naturae agnoscendum, ad contemplationem naturae religiosam adducuntur, ad resipiscentiam, et ad salutaria et pia cogitanda ac sectanda excitantur; vel ex miseriis et periculis, quibus avertendis vires humanae non sufficiunt, exiuai aut ab iis praeservari possunt: miraculis demum religio revelata, qua indigemus, introduci, vel corrupta ab hominibus reformari potest. Divinis ergo consentit perfectionibus, per miracula hos aliosque fines salutares promovere.

* Absit a nobis, ut cogitemus de Deo, quod miraculis defectum aliquem in mundo a se commissum suppleat, aut curiositatem nostram, quae coerceri potius debet, foveat, aut quod miracula patret ad ostentandam potentiam suam, quae non minor in natura cernitur. Deus quippe miracula ad singularem altioremque finem, ad quem ordinarius naturae cursus aeque aptus non est, aeterno suo consilio dirigit. Inanis etiam est metus, ubi rationalistae timent, ne forte miraculis incerta reddatur naturae cognitio, negotia vitae impediantur et medium providentiae nobis eripiatur. Deus enim raro, et ad singularem duntaxat finem promovendum, et in talibus adjunctis, eoque modo patrat miracula,

ut prudens quisque in paucissimis illis casibus divinae virtutis interventum facile intelligat.

**) Objectionibus aliis, quas Kant, Fichte, Niethamer aliique protulerunt, inter ipsos Protestantes apte responderunt Geo. Frid. Seiler: „von den Wundern:“ Staeudlin: „Ideen zur Kritik eines Systems des Christenthums:“ praesertim autem Storr et Syfskind: „Bemerkungen über die Kantische Religionslehre.“

§. 44.

Veritas etiam miraculorum sufficienter a nobis cognosci potest, et quidem

a) historica, sive existentia facti seu eventus: hanc quippe agnoscere possunt 1) praesentes — ex propria experientia, quae ad existentiam facti, uti ordinarii, ita etiam extraordinarii, cognoscendam sufficit; 2) absentes et posteri — ex testimonio authentico, maxime publico, et ab adversariis confirmato, quod utique circa facta etiam extraordinaria valet.

* Quae objiciuntur ab Hume, Eckermann et Paulus, meras spectant conjecturas, easque paradoxas, quibus omnis fides historica evertitur. cf. Sandbichler: Eine Stimme des Rufenden in der Wüste.“

c) philosophica, sive origo facti istius ex caussalitate supernaturali, quae licet demonstrari nequeat, fide tamen vere rationali agnosci potest — 1) ex charactere legati divini, effectum ex immediata Dei virtute repetentis, notorie bono; — 2) ex modo agendi prorsus digno, omnemque fraudis suspicionem excludente: — 3) ex consilio et fine, ad quem actio dirigitur, per se gravi

et salutari; potissimum autem — 4) ex indole ipsius eventus, qui vires agentis legati superat, et a ratis naturae legibus recedit.

Jam talis eventus, in quo quatuor istae notae concurrunt, ceu verum miraculum jure agnoscitur, quia is nec ex viribus agentis, quas aperte superat; nec ex legibus naturae, a quibus recedit; nec ex virtute spiritus fortioris (sive boni, sive mali) attamen finiti repeti potest; nam spiritus creati, utut hominibus fortiores sint, absolutam tamen potentiam in naturam non habent; sed unice ab ipsa Dei virtute repeti debet, utpote qui solus naturae dominus est.

* Miraculum ex quatuor istis notis 1) discerni potest a casu, a fraude, ab artificio, a prodigio naturae, et a praestigiis daemonum. 2) Ad agnoscendum miraculum opus non est, ut omnes naturae vires, earumque ambitum et limites noscamus; sufficit enim scire, quod eventus a certa aliqua lege naturae recedat, quia non datur lex ulla naturae alteri legi repugnans: et aliunde in explicanda eventus alicujus origine ad vires occultas confugere haud decet.

** Major de veritate miraculorum certitudo obtinetur, si apud unam nationem ad unum aliquod consilium, Deo dignum et hominibus salutare, integra talium eventuum series inveniatur.

§. 45.

Miraculis demum vis probandi inest propter nexum miraculorum cum religione, seu miracula ad persuadendam nobis veritatem revelationis valent.

a) Miracula quippe 1) non tantum attentionem excitant, legato divino adhibendam, sicque animos ad doctrinam ejus perpendendam et acceptandam praeparant; 2) sed auctoritatem etiam legati divini, virtute divinitus communicata insigniti, comprobant, qua agnita ad veritatem doctrinae agnoscendam adducimur; 3) potissimum vero ipsam veritatem revelationis immediate probant, si miracula immediate ad eam probandam dirigantur: in hoc enim casu ipse Deus, qui solus est auctor principalis miraculi, suamque virtutem deceptori ad homines in re tam gravi fallendos certe non communicat, assertioni legati testimonium perhibere jure creditur.

b) Vis ista probandi 1) apta est homini, qui naturali stimulo in mira fertur, et factis potius, quam argumentis in hoc praesertim negotio erudiri debet: 2) consentanea revelationi, quae, cum ab auctore Deo veniat, factis etiam divinis indigere videtur, ut suam originem probet: 3) et Deo digna, ut signo sensibili se Dominum naturae ostendat, spuria falsarum religionum prodigia confutet, et legatum suum ac doctrinam confirmet ac stabiliat.

* Genius 1) bonus nec pro suo erga veritatem et homines studio, nec ex commissione Dei adjuvare impostorem potest: 2) malus autem praeconi veritatis suas haud largitur vires, ne contra seipsum saeviat; et impostori — vetante Deo — largiri nequit.

§. 46.

Miracula praescientiae divinae sunt prophetiae, quarum notio primum est exponenda.

a) Est autem prophetia, stricte sumta, clara, determinata, et firma eventuum futurorum et contingentium praedictio, quae successu rata habetur.

* In prophetia ergo 1) argumentum ejus est res futura, et contingens, quae ab arbitrio vel Dei, vel hominis pendet, et nec in se, nec in causa sua existit: 2) modus praedictionis clarus, quantum natura prophetiae patitur, non obscurus; tum determinatus seu per partes et circumstantias deductus, non vagus et generalis; denique firmus esse debet, non ambiguus, nec conjecturis permixtus: 3) ex historia constare legitime debet, praedictionem ante eventum factam fuisse, eventumque praedictioni postea vere, et perfecte respondisse.

** In s. scriptura 1) primo nomen prophetae hominibus ad familiare Dei alloquium admissis, et notitia divinorum consiliorum imbutis tribuitur; quo sensu Gen. XX, 7. Abraham propheta dicitur: 2) postea Moses, legatus Dei ad Israelem et Pharaonem, nomen prophetae tulit, et quisquis notitiam futurorum a Deo acceperat, Videns I. Reg. IX, 9. usque ad Davidem dictus fuit: 3) post divisionem regni nomen prophetae tribui illis maxime coepit, qui religionem docebant, vel mandata divina promulgabant, vel futura praedicebant.

b) Differt ergo prophetia 1) a praescientia et praedictione humana senum, medicorum, astronomorum, politicorum etc. quorum notitia intra naturam subsistit, vel fere conjecturas sequitur: 2) a praesensione, quam mens de imminentibus jamjam fatis ex vivaci phantasia, et occulto animi statu concipit: 3) ab oraculis gentilium, in quibus et materia, et forma, et historia deficit.

§. 47.

§. 47.

Possibilitas prophetiae a) logica inde patet, quod conceptus ejus rationi non repugnet:

b) physica quoque manifesta est; Deus enim ceu omniscius omnes eventus novit, et ceu omnipotens partem eorum manifestare potest; homo autem, qui aliquam jam notitiam futurorum vi naturali tenet, aliam ex revelatione divina acquirere, aliisque communicare potest:

c) moralis demum ex eo intelligitur, quod prophetiae finem regni divini promovere possint; et 1) quidem cognitionem veritatis: — nam prophetia non solum existentiam vel dominium, sed etiam praescientiam et perfectiones morales unius veri Dei modo, primis maxime hominibus accommodato, annuntiat; deinde prophetia est praesens veluti pignus, quo naturalis de immortalitate prophetia, cujus eventus in alteram vitam differtur, praeclare confirmatur; demum prophetia religioni vel introducendae, vel emendandae servire potest: 2) moralitatem: — dum eventu prophetiarum, si is cum fatis vel familiae, vel nationis cohaereat, obedientia excitatur, inobedientia coercetur, timor et fiducia in Deo nutritur, uti ex historia Abrahamidarum illustrari potest: 3) felicitatem tum huius, tum alterius vitae: — siquidem prophetiis tum novi terrae coloni, qui experientiae et humanae auctoritatis subsidio erant destituti, tum posteri ab imminentibus malis praeservari possunt, et universe attentio hominum a praesentibus ad futura transferri, et ad religiosam historiae aeque ac naturae contem-

plationem impelli potest, ex qua tum animi tranquillitas tum spes laeta oritur et fovetur.

§. 48

Veritas prophetiae a) historica certa esse potest 1) praesentibus per experientiam, si ex ore prophetae praedictionem audiant, et eventum propriis videant oculis, uti apostolis circa Christi resurrectionem contigit; 2) posteris ex authentico testimonio de data praedictione, et de eventu secuto, quod respectu nostri de eadem resurrectione valet.

* Conatus recentiorum adversus prophetias biblicas P. II. refellentur.

b) Philosophicam autem earum veritatem instituta rite reflexione sufficienter dignoscere valemus. Quod si enim praedictio rei futurae et contingentis a viro probo — in adjunctis, legato divino convenientibus, — sub invocatione nominis divini, et ad consilium Deo dignum edita, et eventu ipso rata fuerit habita, interest prorsus rationis, causam ejusdem dignam et aptam indagare et assumere. Jam vero 1) eam non invenit in intellectu finito, qui sua ex natura nec ad omne verum, nec ad unum prae alio cognoscendum determinatus est, et ad futura contingentia nec ab objectis eorum, nec a causis eorum determinari potest: 2) sed invenit eam in solo Deo, qui eventus omnes, sive ad naturam, sive ad homines spectantes, novit et regit. Unde et communis hominum consensus praedictionem futurorum pro indubio veri Dei charactere semper agnovit,

* 1) Ad casum vel ad occultam causam hac in re provocare, rationi repugnat. 2) Intellectus altior etiam,

sed finitus tamen, pariter ad cognitionem futurorum contingentium se non extendit, et in cognitionis suae, quam forte habet, manifestatione Deo subest. 3) Si falsa sint oracula gentilium, idcirco veritas prophetiarum biblicarum, ab iis adeo diversarum, non infringitur, sed majori solum studio indaganda est.

** Omni huic reflexioni major accedit vis, si longa adsit prophetiarum series, per varios gradus evoluta, et tamen apte connexa, simulque ad finem regni divini destinata.

§. 49.

Prophetiis, si cum religione nectantur, inest etiam

a) vis probandi, dum vel attentionem cient, vel prophetam consiliorum divinorum participem ostendunt, ejusque auctoritatem docent, vel veritatem doctrinae, si ad eam proxime referantur, confirmant: verae enim prophetiae a Deo proveniunt, qui impostorem non adjuvat.

* Interdum eventus prophetiae potest esse perdurans, et stabilem quasi confirmationem religionis continere.

b) Eaque vis admodum apta est 1) religioni revelatae, si ea non purum rationalismi dogma contineat, et ut oracula gentilium pro spuria illorum revelatione veris prophetiis confutentur; 2) homini, qui naturali quodam stimulo notitiam futurorum cupit, et ineptis saepe mediis quaerit, et ex eventu prophetiarum jamjam rato veritatem doctrinarum a propheta promulgatarum firmius credit; 3) Deo, ut suas perfectiones morales clarius manifestet, auctori-

tatem legati sui confirmet, et homini ac religioni succurat.

* Objectiones cl. Eckermann aliorumque ex iis, quae de revelatione dicta sunt, facile solvuntur. Sollte es schwer seyn, Wunder und Weissagungen zu glauben, so bedenke man, dafs es nicht leichter sey, sie alle läugnen oder bezweifeln zu wollen, weil man dabey 1) den historischen Glauben, 2) den Charakter der Schriftsteller und 3) die Verdienste der grofsen Religionslehrer angreift.

§. 50.

Corollaria. I. Revelata religio, si qua existat, characteribus in — et externis praedita esse debet, ac proin recto examine indagari, et prudenti assensu acceptari potest.

II. In examine et assensu characteres in — et externi conjungi debent, uti natura rei, conditio hominis, et rectus de Deo sensus exigit.

* Weder die innere Güte, noch die wohlthätigen Wirkungen einer Lehre sind ein ganz sicheres Kennzeichen des göttlichen unmittelbaren Ursprungs, weil die Entscheidung sonst entweder dem Gefühle, oder der Philosophie überlassen würde, welche beyde in dem Geschäfte der Weltreligion keine sichern Führer seyn können. Man mufs also auch die aeussern Gründe zu Hülfe nehmen, die zwar die Religion nicht erst wahr und gut machen, aber doch historische Ueberzeugung bewirken.

III. Unum ergo completum argumentum pro religione revelata datur, quod 1) a characteribus internis, quibus possibilitas revelationis declaratur, inci-

pit, et 2) characteribus externis, quibus ejus existentia ostenditur, completur.

* Valet etiam hoc loco: „Quod Deus conjunxit, homo non separet.“ Beide Charactere sind innigst verbunden: durch die äussern allein entsteht keine wahre Ueberzeugung von der Würde und Wohlthätigkeit der Lehre, durch die innern allein keine feste Ueberzeugung von der Göttlichkeit.

Sectio III.

Propagatio revelationis.

§. 51.

Si revelata religio, a legato divino tradita, et a coaevis ejus agnita, eam habeat destinationem, ut omnibus omnium temporum ac locorum hominibus pro stabili norma serviat, necesse est, eam convenienti modo propagari, et propagatam semper secure agnosci posse Unde doctrina de revelatione generatim statuere adhuc principia debet 1) de destinatione revelationis, 2) de modo propagationis, et 3) de examine ejus.

§. 52.

Destinatio revelationis, si finis habeatur ratio, alia non est, quam ut constitutio regni divini moralis, ac proin religio et ecclesia evolvatur, firmetur ac promoveatur, uti ex conceptu Dei, hominis et revelationis intelligitur.

* Revelatio non debet a priori ad constitutionem regni divini rationalem restringi; sed potest posi-

tivis etiam additionibus eam augere, quae 1) si sint veritates theoreticae, veritatibus quidem rationalibus sese associant, non tamen instar vehiculi temporarii, sed cum stabili momento; 2) si sint statuta, circa statum ecclesiae versantia, stabili pollent pretio, si in communi hominum natura fundamentum habeant.

§. 53.

Si subjecti habeatur ratio, destinatio revelationis potest esse particularis vel universalis.

a) Si respectu alicujus familiae, vel nationis detur specialis indigentia, certe non repugnat, Deum ei revelatione particulari succurrere, atque ita universali revelationi viam aperire.

b) Porro Deus, omnium hominum, temporum, ac locorum Dominus, universalem etiam revelationem dare potest, ejusque spem ratio concipit, siquidem 1) regnum Dei universalitatem et unitatem importat; 2) similis semper quoad substantiam natura et status hominum empiricus datur; et 3) Deus omnes omnium temporum ac locorum homines una providentia complectitur. Unde intelligimus, a Deo dari posse revelationem vel particularem, vel universalem.

* Die Offenbarung fängt an einem gewissen Ort, zu einer gewissen Zeit, und bey gewissen Menschen an. 1) Sie kann also einen Partikularismus haben, die Menschen von Stuffe zu Stuffe weiter führen, und nach dieser Absicht auch in der Materie und Form fortschreiten. 2) Aber immer wird sie eine Tendenz zum Universalismus in Rücksicht des Raumes, oder vielmehr des Subjektes haben, und die partikulären

Anstalten als Vorbereitungsmittel dazu gebrauchen. 3) Der beschriebene Particularismus ist also der Vorsehung des Allvaters nicht zuwider, weil er defswegen, dafs er Einigen eine, ihnen angemessene, Offenbarung giebt, die Uebrigen nicht versäumt, sondern ihnen mit andern Mitteln, die mehr für sie passen, zu Hülfe kommt etc.

** Wie die Natur — oder Vernunftreligion für alle bestimmt ist, so kann es auch die Offenbarung seyn.

§. 54.

Juvat notionem revelationis universalis, quam a Deo speramus, clarius exponere.

a) Religio revelata universalis debet 1) omnibus omnium temporum ac locorum hominibus accommodata, omnibus sufficiens et pro omnibus rata esse; ac proin 2) non solum capacitati et indigentiae, sed culturae etiam tum praesenti, tum futurae totius generis humani convenire.

b) Constitutio ergo regni divini, quam revelatio universalis proponit, 1) nihil potest continere, quod vel certam civitatis formam requirit, vel certo tantum climati congruit, vel scholae duntaxat, aut sectae convenit; 2) sed debet continere stabilem tum religionis, tum ecclesiae normam, in cujus tam cognitione, quam exercitatione continui ad majorem perfectionem progressus fieri possint; omnesque homines vel actu, vel studio saltem complecti debet.

* Talis jam constitutio intellectum humanum et auctoritatem humanam longe superat; divinis autem perfectionibus praeclare consentit. Qualem autem Deus daturus sit revelationem, ratio ex se determinare, vel prae-

scribere Deo nequit; sed eam a Deo exspectat, et datam acceptat.

§. 55.

Ut revelatio universalis ad omnes omnium temporum ac locorum homines propagetur, quinque modi a nobis concipi possunt.

a) Cum revelatio sit factum, notitia ejus non ex ipsa jam ratione obtingit; sed aliis communicari mediis debet.

b) Media ejusmodi quinque a nobis concipi queunt; nempe 1) vel revelatio ab ipso Deo apud omnes homines repetita; 2) vel missio legatorum divinorum per singula circiter secula in omnem mundum; 3) vel traditio sola humana adjunctis festis aliisque institutis ab origine decurrens; 4) vel scriptura sacra a primis revelationis praeconibus sub influxu divino conscripta, et ad posteros propagata; 5) vel institutio status doctorum, qui continua successione religionem acceptam propagent, ecclesiam dilatent, et singulari numinis assistentia suo in munere regantur.

* Notitia facti divini 1) vel immediate ab ipso Deo 2) vel a testibus hominibus — aut singularibus aut ordinariis — 3) testimonio — vel viva voce vel scripto — propagari potest.

c) Quemnam ex hisce modis Deus, auctor revelationis, eligat, ratio suorum limitum conscia definire non audet; cum tamen Deo dignum, humano generi universo aptum, et ad finem, id est, ad com-

munem in ecclesia religionis notitiam et exercitationem consentaneum fore, jure statuit.

§. 56.

Propagatio revelationis universalis nec ex revelatione Dei repetita, nec ex successiva legatorum divinorum missione repetenda videtur.

a) Repetitio quippe revelationis importat continuam miraculorum seriem, quae nec divinis perfectionibus, miraculorum utique non prodigis, consentit; nec naturali hominum progressui favet; nec conjunctionem eorum in ecclesia promovet.

b) Successiva legatorum extraordinariorum missio, etsi populo rudi circa religionem temporariam et localem maxime congrua sit, minus tamen religioni universali apud homines ad majorem culturae gradum sensim progredientes convenire videtur, eoquod miracula sine necessitate multiplicet.

§. 57.

Pariter nec traditio, nec scriptura sufficere videtur.

a) Traditio humana, si adjuncta habeat festa, aliaque instituta, minori quidem hominum parti et in primordiis religionis sufficit; non autem religioni ad omnes omnium temporum ac locorum homines diffundendae: inter vicissitudines enim, quibus res humanae subjacent, traditio facile corrumpi, aut omnino obliterari potest.

b) Scriptura sacra, sub peculiari influxu Dei consignata (qualem omnes gentes, revelationem profitentes, se habere gloriantur) si doctrinam et primam historiam revelationis claro et authentico testimonio contineat, 1) aptius multo, quam traditio, medium est tum ad immutabilem religionis conservationem, tum ad uniformem ejus propagationem, tum ad altiorem commendationem: 2) non tamen sufficiens. Primo enim adparatus eruditionis, qui ad scripturam intelligendam et adplicandam requiritur, maximae huminum parti non convenit; deinde scriptura sola, si interpretatio ejus arbitrio cujusvis relinquatur, homines separat potius, quam conjungit; demum religioni universali viva institutio magis, quam mortua litera convenit.

§. 58.

Itaque si ex nexu naturaque rerum augurari licet, verosimilius videtur, traditioni et scripturae adjungendum esse statum doctorum, singulari providentia directorum.

a) Media enim ista 1) si separentur, plures involvunt difficultates; 2) si conjungantur, mutuo se sustentant, et ad pleniorem religionis ac ecclesiae effectum felicius serviunt.

b) In specie status doctorum, divina auctoritate et assistentia conspicuorum, 1) religioni — maxime positivae — ut certitudo de ea unitasque obtineatur, maxime consentaneus; 2) hominibus, quorum pars maxima ab auctoritate pendet, accommo-

datus, et 3) Deo, ut opus suum conservet ac regat, omnino dignus videtur. cf. Brandmeyer Principia cath. introd. in theol. christ. Rastadii 1785. p. 49 sqq.

§. 59.

Examen revelationis propagatae, ut prudens ei assensus praestari queat, triplici constat functione:

a) critica, quae auctoritatem documentorum de revelatione, ad nos transmissa, indagat:

b) hermeneutica, quae summam doctrinae revelatae ex iisdem testimoniis determinat; et

c) philosophica, quae de divinitate ejusdem doctrinae ex characteribus revelationis decernit.

* Officium examinis ex nexu revelationis cum veritate et moralitate et ex ipso revelationis conceptu intelligitur; modus ejusdem ex natura rei juxta leges logicae determinatur. Unsere Theisten haben hier eine ganz eigene Logik, und fodern apodiktisches Wissen, wo nur vernünftige Ueberzeugung möglich ist.

§. 60.

Prima functio est critica, quae ex criteriis in — et externis

a) de testimonii tum origine, tum integritate, et

b) de testis notitia aeque ac sinceritate decernit. Sine tali functione critica non habemus fontem, ex quo religionem, jam ante plura secula revelatam cum securitate et certitudine cognoscere licet.

* Das Alter der Urkunden, die Wichtigkeit des Inhalts, und die Tendenz des Zeitgeistes fodert, dafs die Kritik nach festen Prinzipien angestellt werde; aber der unbefangene Freund der Wahrheit wird zweifeln, ob die Strenge 1) in kühnen und neuen Konjekturen, 2) in hohem kritischen Gefühle, 3) in überspannten Foderungen, die bey andern kritischen Untersuchungen auf keine Art gelten, bestehe.

§. 61.

Functio altera est hermeneutica, quae totam regni divini moralis constitutionem, nempe de religione et de ecclesia, in testimoniis authenticis contentam, juxta leges communes interpretationis logicae, grammaticae et historicae determinat.

* Die Religionsurkunde mufs als eine heilige, und fremde Sache mit Treue und Respekt behandelt werden. 1) Man darf ihr weder das Eigene rauben, noch etwas Fremdes aufbürden, so wenig, als es erlaubt ist, eine Geschichte nach Hypothesen zu interpretiren. 2) Es ist paradox, für die Religionsurkunde Auslegungsmethoden einführen zu wollen, die die Vernunft bey jedem andern Buche verwirft. Wer von den, sonst allgemein geltenden, Gesetzen der Auslegung abgeht, spricht der Vernunft (der Urheberin dieser Gesetze) Hohn, schiebt dem Auktor seine Meinungen unter, und erschleicht fremdes Ansehen.

§. 62.

Tertia functio est philosophica, quae de veritate et divina origine doctrinae, rite determinatae, ex characteribus revelationis decidit.

a) Initium fit a characteribus internis, tum negativis, tum positivis;

b) fit dein progressus ad characteres externos, ex charactere, fatis et factis legati divini, sine quibus revelatio, uti olim, ita hodie agnosci et dignosci nequit.

c) His addi potest historia revelationis a sua origine usque ad aetatem nostram, qua in historia tum eventus perdurans prophetiarum a fundatore editarum, tum providentia Dei in conservando suo opere conspicua supplere potest, quod ob distantiam a loco et tempore originis deesse videtur.

* Wenn Wunder und Weissagungen ursprünglich mit der Offenbarung verbunden waren, so haben sie durch die Länge der Zeit nichts von ihrer Kraft verloren. — Eine Offenbarung, wenn sie für Alle bestimmt ist, hat auch Merkmale, die für Alle angemessen sind. 1) Innere Würde und Wohlthätigkeit der Lehre paſst für den aufgeklärten und guten Menschen; 2) eine Oekonomie von Wundern für den gemeinen Mann; 3) ein System von Weissagungen für den Denker.

** Einwendungen. a) Die Wahrheit ist nur aus innern Gründen erkennbar. Bey. Wie klein ist auch bey der Vernunftreligion die Zahl der Gläubigen aus innern Gründen? 1) Positive Wahrheiten und Thatsachen beruhen nach ihrem Begriff auf Authorität. 2) Wer streng blos bey innern Merkmalen stehen bleibt, kann nicht mehr, als puren Rationalismus annehmen. 3) Unsere Philosophen begehen häufig den Fehler, daſs sie von sich auf die ganze Masse der Menschen schlieſsen.

b) Wunder und Weissagungen können nur in einem sinnlichen und rohen Zeitalter ihr Glück

machen. Bsp. Sinnlich und roh wird der groefste Theil der Menschen immer bleiben. 1) Es kann in einem Zeitalter mehr an den innern, in einem andern mehr an den aeussern Merkmalen liegen. 2) Aber der Natur der Sache gemäfs müssen immer beide verbunden seyn, weil auch heute die Offenbarung bey jedem, der sie annimmt, gleichsam introduzirt werden mufs.

c) Wozu diese Stütze, die auch falsche Offenbarungen haben, und den Gegnern nur Stoff zu üppigen Einwürfen giebt? Bsp. Wir wollen der Offenbarung keine Stütze leihen, die sie nicht hat, aber auch keine nehmen, die sie hat. 1) Die wahre Offenbarung wird auch in Wundern ihren Vorzug über die falsche behaupten; 2) und wenn man den Gegnern zu Gefallen das Positive wegläfst, wie viel wird von dem Rationellen stehen bleiben? Es steht wahrhaft nicht in unserer Willkühr, die Offenbarung nach Zeit und Ortskonvenienz zu behandeln.

§. 63.

Hisce functionibus cum par haud sit maxima hominum pars, opus est, ut eidem legitima auctoritate succurratur; qua quidem in re rursus revelatio, siqua existat, indigentiae humanae magis consulit, quam ratio.

a) Revelatio enim inter doctores, qui ipsam agnoscunt, consensum saltem in substantia promovet, eoque consensu posito populus prudentem praestare assensum potest.

b) Accedit, revelationem non solis argumentis internis, sed etiam externis niti, quae facilius a populo agnosci et aestimari queunt.

* Glaube ist bey der positiven, wie bey der Vernunftreligion für den gemeinen Mann nothwendig; aber die positive Religion kann ihre Lehrer legitimiren, und ihre Lehren mit Thatsachen beweisen.

§. 64.

Ex hactenus dictis sequitur, quod docti ex triplici ista functione, et indocti ex legitima auctoritate solidam de revelatione convictionem acquirere possint.

* Quam praeclare Christus hac in re et doctis, et indoctis providerit, in Parte II. et III. ostendetur. cf. Sambuga: Ueber den Philosophismus: München 1805 und Prüfung der Einleitung zur Schrift: Neue Erde und neuer Himmel.

Pars II.

De religione divinitus revelata.

§. 65.

A ratione, quae, uti P. I. ostensum est, officium religionis promulgat, suam in negotio religionis feliciter perficiendo insufficientiam agnoscit, et revelationis votum concipit, jam transimus ad historiam, quae testatur, revelationem divinam actu hominibus concessam esse, et quidem potissimum per Christum. Cujus quidem facti veritas juxta principia, P. I. Cap. III. stabilita, jam est examinanda atque comprobanda.

* Magnum hujus argumenti momentum patet tum ex ipsa rei gravitate, tum ex eo, quia nos ipsi religionem christianam profitemur, ejusque docendae munus obire debemus, tum etiam ex genio aevi nostri, quo crassiores quidem contra Christum assultus conticuisse videntur, subtiliores autem, qui non minus periculosi sunt, late personant.

§. 66.

Altera haec theologiae generalis pars tribus absolvitur capitibus. Primum de documentis agit, in quibus testimonia de facta olim revela-

velatione extant. Secundum ex testimoniis istis existentiam ipsam revelationis et quidem potissimum christianae juxta characteres divinae revelationis evincit. Tertium denique nexum revelationis, ante Christi tempora factae, cum revelatione, per Christum data, exhibet.

* Cum revelatio, per Christum, et ante Christum facta, res sit in facto posita, quae ante multa secula contigit, veritas ejus probanda est ex testimoniis authenticis, quae in documentis fide dignis continentur. Unde primo loco de istis documentis agendum est. Porro cum Deus teste historia sacra triplici in periodo suam dederit revelationem, nexus revelationis ostendendus est. Unde caput tertium jure additur.

** Cum hodie multi tenuiter nimis sentiant de fide historica, cui praesens argumentum nostrum innititur, de ea juvat quaedam praenotare ex cl. Dobmayer tom. III. p. 9 — 14. 1) Fides historica (assensus testimonio praestitus propter perspectam testis auctoritatem) est adminiculum omnis educationis, qua omnes homines indigent, vinculum societatis universalis inter antecessores, coaevos et posteros, et medium veritatis, quae commune bonum est, propagandae. Unde ratio vetat, eam valere legem, ut nulli auctoritati fides habeatur; et promulgat eam legem, ut auctoritati sufficienti fides habeatur. 2) Quod si ergo existat documentum, in quo revelatam contineri religionem magna hominum pars credat, ratio jubet documenti illius examen instituere, et de eo ferre sententiam. 3) Quo in negotio, etsi res ipsa majorem severitatem exigat, indignum tamen est, auctoritatem, quam aliis in negotiis agnoscimus et sequimur, affectata quadam verecundia eludere velle, et heterogenea, quae nulla alia in re

historica sustinentur, principia sectari. cf. Paley: Uebersicht und Prüfung der Beweise und Zeugnisse für das Christenthum: a. d. Engl.

Caput I.

De documentis divinae revelationis.

§. 67.

Testimonia, ex quibus facta olim revelatio divina nobis innotescit, juxta consensum omnium christianorum in libris sacris veteris et novi testamenti continentur; quorum numerum et pretium praevie indicasse juvabit.

a) Libri christianorum sacri dividuntur in libros veteris et novi testamenti seu foederis, eorumque alii vocantur protocanonici, qui ab origine sua ceu sacri semper sunt agniti, alii deuterocanonici, de quibus non semper eadem viguit fides.

* Libri protocanonici 1) veteris testamenti sunt Pentateuchus, seu quinque libri Moysis, nempe Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum et Deuteronomii; deinde Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo chronicorum et duo Esdrae, quinque libri morales, nempe Job, Psalmorum, Ecclesiastis, Proverbiorum, et Cantici Canticorum; demum libri Prophetarum, nempe quatuor majores Isaiae, Jeremiae, Ezechielis et Danielis; et duodecim minores, nempe Oseae, Joel, Amos, Abdiae, Jonae, Michaeae, Nahum, Habacuc, Sophoniae, Aggaei, Malachiae et Zachariae. De libro Esther disputant, utrum proto — vel deuterocanonicus sit. Deuterocanonici sunt libri, Tobiae, Judith, Sapientiae, Eccle-

siastici, et duo Machabaeorum: — 2) novi testamenti protocanonici sunt quatuor volumina Evangelii, nempe Matthaei, Marci, Lucae et Joannis; deinde Acta Apostolorum, et epistolae, nimirum tredecim S. Pauli — una ad Romanos, duae ad Corinthios, una ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, una ad Titum et una ad Philemonem; prima S. Petri et prima S. Joannis. Deuterocanonici sunt — epistola ad Hebraeos, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, epistola Jacobi et Judae, et Apocalypsis.

** De verosimili horum librorum origine cf. Dobmayer l. c. p. 28 — 31 et Schwarz: Handbuch der christl. Rel.

b) Pretium horum librorum magnum, quo hi libri bibliothecas philosophorum superant, intelligitur 1) ex eorum argumento, quod est religio per gradus patefacta, qua melior proferri nondum potuit; tum historia religionis, in qua gubernatio Dei, et cultura generis humani cernitur; denique magna pars historiae generis humani, maxime de primitivo ejus statu: — 2) ex origine, quo quidem sub respectu sacris bibliis praerogativam tribuit primum antiquitas temporis, deinde ingenium et character auctorum, demum efficientia divina, quae multiplex et peculiaris intervenit, ut hi libri scriberentur et conservarentur: 3) ex effectibus, quos quidem plurimos et maximos partim literarios, partim morales, partim religiosos hi libri protulerunt: — 4) demum ex eo — quod hoc loco praecipue spectamus — quia hi libri aptum nobis praestant documentum, ex quo notitias tum doctrinae, tum historiae christianismi — in toto suo ambitu — haurire possimus.

* Theismus, qui religiosos aliarum nationum libros, utut imperfectos, benevole assumit, magnisque elogiis extollit, iniquus est, et infestus erga sacros Judaeorum ac Christianorum libros, eosque vel obscuris tribuit auctoribus, vel corruptos in doctrina et historia asserit, vel auctoritatem eorum ob simplicitatem aevi antiqui in dubium vocat; vel recentissime in iis temporarium pro infirmis medium fidei agnoscit.

§. 68.

Circa hos libros, et quidem hic et nunc circa protocanonicos, examen criticum est instituendum, ut constet certo, eos esse tales, ex quibus veritas factae olim revelationis divinae probari queat. Examinis istius

a) officium ex ipso librorum horum pretio jam colligitur, praesertim autem urget tum propter christianos, ne ex corrupto forte fonte religionem hauriant; quod quidem periculum ob distantiam temporis, quo libri isti prodierunt, et ob historiam aliorum librorum, qui varia fata experti sunt, magis augetur; tum propter theistas, quorum assultus christianos in sua de bibliis aestimatione turbant.

b) Objectum examinis est non ipsa jam religionis divinitas, neque librorum inspiratio, sed authentia, quae sensu pleno importat 1) circa libros ipsos tum authentiam in sensu angustiori, sive originem ab iis auctoribus, quorum nomina libri gerunt, vel ex ea aetate, ad quam referuntur; tum integritatem; et 2) circa auctores

auctoritatem seu notitiam ex parte intellectus, et sinceritatem ex parte voluntatis.

c) Modus examinis est is, ut justis criticae legibus fiat satis primum quidem circa libros novi foederis, de quibus clariora et pleniora testimonia extant, et a quibus ad libros etiam antiqui foederis concludi potest; deinde circa libros veteris, eoquod hi cum illis arctissime connectantur.

* Inde a sic dicta reformatione singularis diligentia scripturis fuit impensa, adeo ut codices, versiones et citata potissimum colligerentur, et inter se conferrentur; quo sub labore scriptura auctoritatem suam praeclare semper vindicavit. cf. prolegomena interpretum, Calmet, Dereser; dein Huetii dem. evang. Beda Mayer, Zimmer etc. Sandbichler Einl. in die hll. Schriften. Inter Acatholicos utilem operam huic argumento impenderunt Walton in proleg. a Dathe editis, Michaelis, Eichhorn et Haenlein. Einl. in die hll. Schr. item Lefs et Kleucker.

Sectio I.

De libris protocanonicis novi testamenti.

§. 69.

Protocanonicos novi testamenti libros esse authenticos, sive scriptos a Petro, Paulo, Joanne, Matthaeo, Luca et Marco, verosimile redditur ex internis authentiae criteriis, sive ex eo, quia tum argumentum, tum stilus libro-

rum illorum characteri et historiae auctorum istorum consentit.

a) Auctores, quorum nomina libri isti praeseferunt, 1) omnes quidem discipuli Christi, natione et religione Judaei, et omnes excepto Paulo, illiterati suisque in characteribus diversi, 2) primo religionis christianae et monarchiae Romanae seculo, quo status civitatis et religionis Mosaicae jamjam ad finem vergebat, vixisse, ac libros istos consignasse perhibentur.

b) Jam vero in argumento, et stilo horum librorum longa etiam et rigida 18 seculorum crisi — 1) nihil fuit detectum, quod vel alios auctores, quam apostolos eorumque discipulos, vel seriorem originem, quam seculo I. religionis christianae et monarchiae Rom. ostendat: 2) sed potius omnia tum characteri, tum historiae auctorum nominatorum consentanea esse magis ac magis fuit patefactum. Inprimis auctores esse discipulos Christi ex argumento intelligimus, quod est religio et historia Christi et primorum christianorum; et ex stilo, qui adjuncta loci, temporis et personarum adducit: Judaeos — ex idiomate graeco, hebraismis referto, et ex frequenti V. T. citatione et allusione ad ritus et mores Judaeorum; illiteratos suisque in characteribus diversos — ex ipso narrandi probandique modo, qui apud singulos proprius, simulque eruditionis et artis expers est, apud Paulum tamen eruditionis judaicae indicia non levia exhibet. cf. Schwarz tom II. p. 153 — 162 t. III. p. 19 et 54 sqq.

Deinde quod historiam attinet, indicia manifesta nascentis ecclesiae in fatis christianorum,

in controversiis ortis, et in modo propagationis: — primi autem seculi monarchiae Romanae in nativitate Christi, in praedicatione Praecursoris, in morte Christi etc. ac demum Judaismi ad finem vergentis in statu Palaestinae Romanis subjectae, et in tres provincias, Judaeam, Samariam et Galilaeam divisae, in conatibus Judaeorum religiosis ac politicis, et in repetita de vicino templi et civitatis interitu praedictione etc. cernuntur.

* Ad solvendas objectiones observo: 1) S. Lucas conversionem S. Pauli Act. IX. XXII. et XXVI referens, sibi in substantia non contradicit, sed diversa tantum adjuncta narrat; id quod nobis etiam, idem factum saepius narrantibus, contingit. 2) In genealogia Christi apud Matthaeum Josephi, apud Lucam Mariae progenitores recensentur. 3) Positivum Matthaei testimonium de caede infantium non infringitur silentio Josephi, qui aliunde Judaeis et Romanis adulatus est. Caeterum ejusmodi apparentes contradictiones jam dudum melioris notae interpretes solverunt.

§. 70.

Solidius pro authentia horum librorum argumentum petitur ex testimoniis tum christianorum, tum extraneorum.

a) Testimonium consentiens antiquitatis christianae, cujus maxime intererat, veritatem agnoscere, et quae diligenter eam indagavit, ex tribus primis seculis satis constat. 1) Seculo primo, quo immediata adhuc viguit traditio, et ex quo pauca documenta supersunt, S. Barnabas, vel alius epistolae auctor antiquus, S. Clemens Rom. in ep. ad

Cor. S. Ignatius Ant. in VII. suis epistolis, S. Polycarpus, Hermas in Past. Papias de serm. Dom. multos ex evangelio et epistolis textus citant. Papias expresse evangelium Matthaei et Marci, et primam Petri ac Joannis epistolam memorat. 2) Ex testibus seculi secundi pluribus tres adduxisse sufficiat, S. Irenaeum, Lugdunensem in Gallia episcopum, S. Polycarpi discipulum, S. Clementem Alexandrinum, et Tertullianum, presbyterum Carthag. qui in diversis enutriti scholis, in diversis degentes provinciis, et aliis in sententiis discordes, uno ore eosdem libros nominant, et multiplici modo adplicant, eosque omnes a tota ecclesia semper acceptatos fuisse testantur. In specie S. Irenaeus occasionem et auctores evangeliorum refert, catalogum eorum, qui s. scripturam corrumpunt, texit, et scripta authentica ex communi ecclesiarum consensu recipienda esse affirmat. 3) Ex seculo III. — omissis aliis — duumviros, longe celeberrimos, nominasse sufficiat, nempe Origenem, ab ipsis gentilibus laudatum, et de s. scriptura optime meritum, qui praemisso examine libros protocanonicos in universa ecclesia receptos fuisse testatur, et recipiendos esse docet; et Eusebium Caesar. accuratum librorum antiquorum censorem, qui ex sententia primorum trium seculorum tres librorum classes discernit, et ad primam classem omnes et solos protocanonicos refert, quos homologumenos vocat.

* His testimoniis accedunt codices et versiones antiquissimae (latina ex I. sec. syriaca ex II. sec. aethiopica et gothica ex III. et IV. sec.) in quibus iidem libri et nomina eadem auctorum extant. Qua de re suo jam tempore S. Chrysostomus hom. VI. in I.

Cor. observavit, fieri non potuisse, ut libri apocryphi ab oriente et occidente tanquam genuini acceptarentur, tantoque in honore haberentur.

b) Testimonium Christianorum ex consensu haereticorum et gentilium philosophorum confirmatur. 1) Haeretici, licet capita quaedam, suis placitis adversantia, corrumpere, vel auctoritatem confictis apocryphis etc. suspectam reddere studerent, authentiam tamen librorum N. T. non impugnarunt, sed potius textus ad suas sententias detorserunt. 2) Gentilibus quoque libri sacri innotuerunt, uti ex historia traditorum apparet; Lucianus in specie de morte Peregrini, Celsus apud Origenem, Porphyrius ap. S. Hieron. et Julianus apostata plura ex s. scriptura proferunt, et reprehendunt; authentiam autem nullibi negant — evidentia veritatis compulsi.

* Solertia illa, qua libri apocryphi brevi fuerunt detecti et rejecti, argumentum pro authenticis libris magis confirmat, quam infringit.

§. 71.

Posito hoc librorum statu, dum ratio reflectit, suppositionem moraliter impossibilem esse intelligit.

a) Nequit auctor suppositionis ostendi: si enim 1) unum fuisse dicas, admittere debes, unum hominem diversum sex auctorum characterem et stilum felici admodum fraude imitatum fuisse: — unum hominem eandem Christi historiam quater scribere, et singulari prorsus consilio Lucam pro Paulo, Marcum pro Petro substituisse: 2) si plures, com-

mune eorum consilium nec ex argumento, in quo antilogiae esse videntur, nec ex stilo colligi potest; casum autem fortuitum tum spiritus, tum argumentum librorum excludit.

b) Nequit declarari modus suppositionis — 1) factae; nam impostor ex parte intellectus magnum eruditionis apparatum, ut tantum opus moliretur, simulque defectum, ut majorem artis speciem operi suo non tribueret; ex parte voluntatis amorem virtutis et religionis, quam scriptis suis promovet, simulque fraudulentiam, qua toti imponere mundo nititur, possidere debuisset: — et 2) a mundo non detectae: cum enim libri illi, in quibus multae accusationes Pharisaeis, Sadducaeis, Herodi, et celebribus etiam christianorum coetibus parum honorificae continentur, brevi tempore innotuerint et plurimis in locis fuerint pro genuinis recepti, admittere debes universalem vel ruditatem, ut veritatem inquirere non possent, vel torporem, ut eam inquirere negligerent. cf. Ant. de Malvin ep. Lugd. Hirtenbrief. p. 139.

c) Nequit assignari tempus, quo fraus fuerit patrata. Primo quidem seculo, quo minus fraus succederet, obstabat fervor et longior vita Apostolorum. Subsequo autem tempore minutae adeo circumstantiae, quales saepe in scripturis occurrunt, post mutatum rerum statum cognosci amplius haud poterant. Accedit, suppositionem dilatata jam magis religione, ortisque sectis, prolatis et impugnatis etiam apocryphis fieri non potuisse: nisi omnes ubique christianos rudes et torpidos fuisse statuas.

* Nemo prudens de classicorum auctorum authentia dubitat, pro qua tamen nec tot nec tam ponderosa pug-

nant argumenta. — Turpe est, in historia contra testes loqui sine teste. Quid autem recentiores authentiae ss. bibliorum adversarii proferunt, nisi meras conjecturas? cf. Dobmayer. tom. III. p. 61. sqq. et Kistemaker: die heill. Evang. t. I.

§. 72.

Pariter substantialis horum librorum integritas, sive consensus hodierni textus cum textu originario manifesto constat.

a) Si enim characteres integritatis internos seu ipsum hodierni textus argumentum et stilum consulamus, nihil in textu hodierno occurrit, quod substantiali integritati repugnet; sed potius doctrinam et historiam in nostro textu talem invenimus, qualis ab ipsis auctoribus conscribi potuit, et verisimilius conscriptus fuit.

b) Ex characteribus autem externis ipsa talis integritatis veritas innotescit. Inprimis 1) nullo authentico testimonio auctor, tempus aut modus corruptionis ostendi potest: constat potius repressos fuisse conatus Tatiani, Paulum corrigentis, Marcionis, Artemonis. cf. Euseb. H. E. l. IV. c. 29. et l. V. c. 26. et Tertull. de praescr. c. 36. 2) Deinde ex consensione nostri textus cum codicibus, Vaticano, Alexandrino, Cantabrigiensi aliisque; — praesertim cum versionibus antiquissimis, latina et syriaca, et cum citatis ac commentariis primorum Patrum manifestum est, libros istos sine omni, quae integritati eorum substantiali obesset, mutatione ad nos pervenisse.

* Lectiones variantes, in quibus colligendis et corrigendis multam operam collocarunt — Millius, Wet-

stein, Bengel, Matthaei, Griesbach circa textum originalem — Hentenius, Flaminius Nobilius, Petr. Morinus etc. circa versionem vulgatam — sunt vel mere grammaticae, vel sensum non mutant vel circa adjuncta minoris momenti versantur, et adhibitis criticae adminiculis tolli possunt. Unde cum post rigidam adeo textus biblici crisin nulla, quae vel ad doctrinam, vel ad historiam pertinet, pars perierit, substantialis illius integritas ipsis variantibus lectionibus confirmatur.

c) Demum si multiplicationem exemplarium (tum quoad textum originalem, tum quoad versiones) quam propagatio religionis exigebat; si usum et venerationem christianorum, quae ex historia traditorum constat; si vigilantiam episcoporum I. Tim. VI. 20 perpendimus, corruptionem substantialem moraliter impossibilem fuisse intelligimus. 1) Aevo quidem apostolico tam fervor Apostolorum, quam veneratio christianorum erga apostolos eorumque libros talem corruptionem non admittebat. Ab extraneis talis mutatio per se non fuit facta. 2) Subsequo tempore usque ad concilium Nicaenum orthodoxi libris suis, ne ab haereticis mutarentur, invigilabant, hique vicissim orthodoxos observabant. Communis autem in fraudem conspiratio incredibilis est. 3) A tempore concilii Nicaeni, si quis cum pluribus forte sociis libros N. T. clam vel palam corrumpere in substantia voluisset, is quidem omnes codices in toto orbe dispersos, omnes versiones, omnesque Patrum commentarios in suam potestatem redigere, parem in omnibus mutationem perficere, et mutatos orbi christiano absque ullo fraudis indicio obtrudere debuisset.

* Argumenta paris roboris pro nullo alio libro antiquo proferri possunt: cujus tamen integritatem siquis in dubium vocet, stolidi aut petulantis scepticismi accusaretur. Unde non solum iniquum, sed ab omni ratione alienum est, inquit Grotius, libros N. T. corruptos dicere.

§. 73.

Demum ut libris N. T. ceu documentis legitimis uti possimus, de eorum auctoritate etiam constare debet, sive de eo, utrum auctores librorum doctrinam et historiam rite intellexerint, fideliter retinuerint, et sincere consignaverint.

a) Auctoritatem librorum N. T. non divinam — ex inspiratione — sed humanam asserimus, nempe quod scriptores omnibus aptorum testium virtutibus ornati, ac proin fide digni sint. Quae quidem virtutes sunt notitia ex parte intellectus, et sinceritas ex parte voluntatis.

b) Cum utraque ista virtus sit interna, non nisi ex signis externis, claris et securis colligi potest, quae tum ex testimonii objecto et modo, tum ex testis charactere (intellectuali ac morali) atque historia petere oportet.

* Historia Christi quoad substantiam jamjam vera esse cognoscitur ex sola religionis et ecclesiae christianae existentia, per 18 secula continuata; ex diffusione ejus per universum orbem; ex effectibus et amplissimis, et gravissimis in re literaria et politica, in moribus et religione populorum ubique per christianismum productis. Verum ut res ista gravissima clarius pateat, auctoritas scriptorum sacrorum juxta regulas criticae est evincenda.

§. 74.

Inprimis scriptoribus N. T. sufficiens eorum, quae referunt, notitia competebat.

a) Ac primo quidem apto ad comparandam istam notitiam ingenio erant instructi. Notitia quippe doctrinae et historiae, in libris illis contentae, sola sana ratione et sanis sensibus parari potuit. Scimus autem, scriptores N. T. etsi ad legem scholae non essent eruditi, homines fuisse sanae mentis, sanorumque sensuum.

b) Deinde favit ipsis occasio loci, temporis et status, ut notitiam sibi pararent. 1) Tres ex ipsis, Petrus, Johannes, et Matthaeus, individui per triennium Christi comites, vident facta, audiunt verba ipsius. 2) Paulus ante conversionem Jerosolimis degens, et pharisaeus notitiam de publica Christi doctrina et historia habuit; post conversionem vero puriorem hausit tum ex superno auxilio Act. IX. 1 sq. tum ex conversatione cum discipulis Damasci habitantibus, et ab apostolis Gal. II. 9. collega fuit agnitus. 3) Lucas Pauli, et Marcus, Petri comes, ex numero LXXII. discipulorum fuisse creduntur. Lucas I. 1 — 14. fontes assignat, ex quibus hausit evangelium, acta autem apostolorum ex propria experientia scripsit. Marcus fuit conversatus cum apostolis, quos in ipsius domo conventus celebrasse viri graves et docti hodie tenent.

* Nemo antiquorum tam aptos nactus est biographos.

c) Praeterea, ut naturali sua facultate et occasione bene uterentur, urgebat tum gravitas rei, cui quidem, relicta religione avita,

toto animo adhaerebant; tum munus religionis in toto orbe annuntiandae, contra adversarios et coram tribunalibus defendendae.

d) Denique eosdem actu notitiam authenticam sibi comparasse ostendit diligens narrandi modus, 1) deductus saepe per partes, et ad circumstantias interdum minutas loci, temporis ac personarum; 2) interdum publicus et forensis — provocans ad experientiam aliorum, non amicorum solum, sed et adversariorum.

* Apostoli liberi sunt a suspicione 1) nimiae credulitatis, utpote quae circa facta externae experientiae, et ea quidem publica, et saepius repetita locum non habet, et ex historia apostolorum, qui in agnoscenda Christi divina missione et resurrectione tardi fuerunt, satis removetur: 2) fanatismi, cujus nullum in charactere ipsorum vestigium deprehendimus. Fanatismus enim rejecta scriptura et traditione internas illustrationes jactitat: scriptores autem libros V. T. venerantur, ad rationem provocant, et spiritus interni testimonia praebent. Dein fanatismus paradoxiam doctrinae, et rigorem affectat, et confuso sermone utitur: scriptores autem sublimem et simplicem doctrinam sermone plano et perspicuo proponunt. Demum fanatismus est exoticus in conversatione, vehemens in actione, et affectans apathiam: scriptores novimus homines serios, ac humanos, fervidos ac moderatos, fortes et patientes.

** Ut appareat, quam audaces sint recentiorum objectiones, praecipuas quasdam adducere juvat. Objic. 1. Die Schriftsteller sind Idioten, voll von Vorurtheilen der jüdischen Nation, unfähig die Geschichte des ausserordentlichen Mannes, und seine geistvolle

Lehre zu schreiben. R. Diese Idioten haben mit Worten und Thaten mehr in der Welt geleistet, als alle Sekten der Philosophen von der jonischen bis auf die neueste. Durch die Leitung, und noch mehr nach empfangenem h. Geiste legten sie die irrigen Begriffe ab, und verkündeten eine reine Lehre von dem moralischen Weltmessias. Die Hauptsache der Geschichte, und das Hauptthema der Lehre ist äusseres, und in Judäa öffentlich bekanntes Faktum, dessen Wahrnehmung keine grosse Erudition fodert. Objic. 2. Die Apostel waren, wie Hr. Eckermann schreibt, a) zum Voraus geneigt, alle ausserordentliche Begebenheiten für Wunder zu halten; b) sie hatten nicht Naturkenntnisse genug, eine gelehrte Untersuchung über die Wunder anzustellen; c) sie haben keine unpartheyische Untersuchung angestellt etc. R. Spricht sich die Verehrung, welche der Protestant gegen die h. Schrift heget, mit solchen trotzenden Konjekturen aus? a) Der Hang zu Wundern kann freylich die Beurtheilung hindern; aber wenn die wunderbaren Begebenheiten mehrere Jahre fortdauern, wenn die Freunde des Wunderthaters selbst solche Wirkungen hervorbringen, wenn das ganze Publikum in der Hauptsache übereinstimmt, darf man wohl auf eine Störung des Urtheils durch den Hang schliessen? Uebrigens betrachten wir hier die h. Schriftsteller nicht als Beurtheiler, sondern als Erzähler des Geschehenen. b) Der geschickteste Naturkenner kann auch heute von der Hauptsache der Wunder nicht anders urtheilen; weil diese Begebenheiten durch sich selbst bestimmt und bedeutend sind, und auch die Art, wie sie vorgiengen, nicht künstlich und geheim, sondern plan und öffentlich ist. c) Zweifelnde Untersuchung war also hier nicht nothwendig, wo die Sache selbst und die Umstände so laut entscheiden. Objic. 3. Sie schrieben erst später aus dem Gedächt-

dächtnisse, das unsicher ist. R. Sie schrieben aber, was sie zuerst mit gröster Aufmerksamkeit aufgefafst, als eine wichtige Sache sorgfaltig im Geiste behalten, und die ganze Zwischenzeit mündlich schon oft verkündigt hatten. cf. Kistemaker l. c. I. B. in der Vorrede. Objic. 4. Mehrere Thatsachen z. B. von der Geburt Jesu, von der Verklärung etc. konnten sie nicht wissen. R. Warum nicht? — Von der Geburt Jesu konnte die Mutter Jesu authentische Nachricht geben, von der wir lesen, dafs sie alles in ihrer Seele aufbewahrt habe. Bey der Verklarung waren Petrus, Joannes und Jakobus zugegen. Konnten und durften denn Tacitus, Livius etc. nur das schreiben, was sie selbst mit ihren Augen gesehen haben?

§. 75.

Aeque indubitatum est, iisdem scriptoribus competere sinceritatem, quae altera testis, fide digni, proprietas est.

a) In charactere ipsorum, in quo ipsi adversarii nihil, nisi simplicitatem, a fraude utique alienam, carpere poterant 1) elucet amor religionis, quae falsum testimonium in re hac gravissima prohibet; — amor veritatis et virtutis, quae utraque fraude corrumpitur; — amor hominum, qui veritate, non falsitate probatur. 2) Deinde quae in libris scribunt discipuli Christi, ea magno animo apud Judaeos et Gentiles praedicant, coram tribunalibus tuentur, et constanti, inter varios triginta annorum labores, sanctitate, morteque ipsa confirmant; quod quidem testimonium non nisi ex propria convictione de veritate oritur. Itaque in charactere apos-

gengesetzt. — Die Apostel übernahmen freylich die Sorge über die christlichen Gemeinden, aber sie zogen daraus keinen Vortheil (nach dem Sinne der Welt) sondern leiten alles auf Gott und Christus zurück, und finden hienieden Mühe, Gefahren, Verfolgung etc.

§. 76.

Indubitata scriptorum N. T. auctoritas (§. 74 et 75) insuper testimoniis comprobatur

a) christianorum: innumeri enim, qui primis jamjam seculis, avita religione relicta, christianam religionem amplexi sunt, totidem testes sunt pro auctoritate librorum N. T. quos pro norma fidei, spei et vitae suae suscipiebant:

b) gentilium, inter quos duo historici, Suetonius et Tacitus; duo praefecti, Plinius jun. et Serenus Granianus etc. praecipua capita historiae N. T. testantur, et de christianis laudabilem faciunt mentionem: ex philosophis Lucianus christianos irridet, quod Deum crucifixum colant; Hierocles miraculis Christi miracula Apollonii Thyan. opponit etc.

c) Judaeorum, quos inter Philo pietatem christianorum Alexandrinorum sub Marco doctore laudat, et Josephus celebre habet de Christo testimonium. cf. Gervasio: de Verbo incarnato.

Sectio II.

De libris protocanonicis veteris testamenti.

§. 77.

Libros V. T. protocanonicos (§. 67.) esse authenticos (in sensu latiori) seu fidem mereri, tum ex sensu Judaeorum, tum ex adprobatione Christi et Apostolorum jamjam constat.

a) Et quidem 1) natio judaica illos libros tempore Christi ceu authenticos et fide dignos venerabatur ex traditione; uti — circa Judaeos aegyptiacos et Hellenistas ex Philone de vita contempl. et de vita Moysis; et jamjam ex versione LXX. annis 250 ante Christum confecta et ex Ecclesiastico in prol. et XLV — XLIX; circa Palaestinos ex Josepho l. I. contra App. et l. VII. de bello jud: et ex paraphrasi chaldaica, quae post reditum ex captivitate babylonica fuit inchoata, et ex epistola Jonathae I. Mach. XII. 9. constat. 2) Jam vero haec totius nationis fides et traditio magnum habet pondus: Judaeorum enim intererat, libros accuratius nosse, qui eorum historiam, saepe parum honorificam, et legem, admodum onerosam, continebant; sedulitatem autem eorum in quaerenda, et convictionem in tenenda veritate probat tenax patriorum institutorum reverentia, qua Israelitae omnes alios populos ab antiquis temporibus superant. Ex historia insuper constat, Judaeos viris non nisi auctoritate publica insignibus provinciam scribendi libros concessisse, libros con-

gengesetzt. — Die Apostel übernahmen freylich die Sorge über die christlichen Gemeinden, aber sie zogen daraus keinen Vortheil (nach dem Sinne der Welt) sondern leiten alles auf Gott und Christus zurück, und finden hienieden Mühe, Gefahren, Verfolgung etc.

§. 76.

Indubitata scriptorum N. T. auctoritas (§. 74 et 75) insuper testimoniis comprobatur

a) christianorum: innumeri enim, qui primis jamjam seculis, avita religione relicta, christianam religionem amplexi sunt, totidem testes sunt pro auctoritate librorum N. T. quos pro norma fidei, spei et vitae suae suscipiebant:

b) gentilium, inter quos duo historici, Suetonius et Tacitus; duo praefecti, Plinius jun. et Serenus Granianus etc. praecipua capita historiae N. T. testantur, et de christianis laudabilem faciunt mentionem: ex philosophis Lucianus christianos irridet, quod Deum crucifixum colant; Hierocles miraculis Christi miracula Apollonii Thyan. opponit etc.

c) Judaeorum, quos inter Philo pietatem christianorum Alexandrinorum sub Marco doctore laudat, et Josephus celebre habet de Christo testimonium. cf. Gervasio: de Verbo incarnato.

Sectio II.

De libris protocanonicis veteris testamenti.

§. 77.

Libros V. T. protocanonicos (§. 67.) esse authenticos (in sensu latiori) seu fidem mereri, tum ex sensu Judaeorum, tum ex adprobatione Christi et Apostolorum jamjam constat.

a) Et quidem 1) natio judaica illos libros tempore Christi ceu authenticos et fide dignos venerabatur ex traditione; uti — circa Judaeos aegyptiacos et Hellenistas ex Philone de vita contempl. et de vita Moysis; et jamjam ex versione LXX. annis 250 ante Christum confecta et ex Ecclesiastico in prol. et XLV — XLIX; circa Palaestinos ex Josepho l. I. contra App. et l. VII. de bello jud; et ex paraphrasi chaldaica, quae post reditum ex captivitate babylonica fuit inchoata, et ex epistola Jonathae I. Mach. XII. 9. constat. 2) Jam vero haec totius nationis fides et traditio magnum habet pondus: Judaeorum enim intererat, libros accuratius nosse, qui eorum historiam, saepe parum honorificam, et legem, admodum onerosam, continebant; sedulitatem autem eorum in quaerenda, et convictionem in tenenda veritate probat tenax patriorum institutorum reverentia, qua Israelitae omnes alios populos ab antiquis temporibus superant. Ex historia insuper constat, Judaeos viris non nisi auctoritate publica insignibus provinciam scribendi libros concessisse, libros con-

scriptos summa solicitudine asservasse, eorumque revisionem auctoritate publica certis temporibus instituisse, prout Josephus l. I. cont. App. testatur coll. II. Mach. II. 13. 14. Demum omnes illi libri pulchro nexu inter se cohaerent, et ea, quae in iisdem de populis externis occurrunt, cum narratione aliorum auctorum consentiunt.

b) Christus et apostoli, quorum auctorias jamjam stabilita est', Judaeorum fidem et venerationem confirmant. 1) Generatim enim omnes fere libri V. T. non tantum a Christo et ab Apostolis cum honore citantur; sed argumenta etiam ex illis petuntur. 2) In specie Christus Mt. V, 17. non venit solvere legem, sed adimplere: Jo. V, 39. ad scrutandas scripturas adhortatur, et Luc. XXIV. declarat: „Necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me." S. Petrus saepius ex iis textus allegat, et II. ep. II, 20 sanctos Dei homines, Spiritu sancto inspiratos, locutos fuisse asserit. S. Paulus II. Tim. III, 16 scripturam, divinitus inspiratam, utilem esse ad docendum etc. praedicat. Quibus ex testimoniis facile intelligitur, cur libri V. T. pro fundamento a Christianis fuerint recepti.

* Quamvis magna argumento huic generali vis insit, praestat tamen in specie authentiam, integritatem, et auctoritatem librorum V. T., maxime Pentateuchi, ex quo constitutionis mosaicae summa et veritas probari potissimum debet, juxta regulas criticas vindicare. Examen hoc criticum 1) merentur libri isti tum ob antiquitatem, tum ob argumentum multiplex et utile; 2) exigit nexus Christianismi cum Mosaismo; 3) postulat genius aevi theisticus, vehementius contra libros V. T. declamans, et approbationem eorum ab apostolis haud agnoscens.

§. 78.

Moysen esse auctorem Pentateuchi, ex criteriis authentiae tam in — quam externis constat.

a) Argumentum quippe et stilus quinque istorum librorum characteri et historiae Moysis non solum non repugnant; sed praeclare conveniunt. Et quidem 1) liber primus, Genesis, a Mose scribi potuit et Mosi auctori plane convenit, si connexio hujus libri cum sequentibus libris attendatur, et modus narrationis. Historiam quippe in isto libro contentam — de origine mundi, et hominum, eorumque statu originario usque ad tempora Mosis — Moses ex traditione discere potuit; quae de Aegyptiorum statu, luxu, artibus et commercio ibidem referuntur, scire potuit ex diuturna et multiplici cum Aegyptiis conversatione. Modum narrandi quod spectat, stilus et linguae puritas Mosi erudito conveniunt; vita frugalis et pastoralis, et conceptus de Deo simplices primaevis hominibus consentiunt; parcitas et brevitas relationum in primis capitibus antiquitati majori respondent, et fusior de Abrahamo, Isaaco et Jacobo mentio Mosi, hisce viris propinquiori, congruit. 2) Tres alii libri, Exodi, Levitici et Numerorum, qui historiam Mosis privatam et publicam, tum facta ejus in Aegypto et deserto, simulque leges nationi praescriptas, denique peregrinationes et fata populi referunt, aperta de Mose eorum auctore indicia praebent. Argumentum enim et stilus scriptorem satis politum, larga Aegypti notitia praeditum, et testem immediatum, cujus magna pars in rebus gestis fuerit, ostendunt. Quae

quidem omnia Mosi conveniunt, qui circumstantias saepe minutas, seriori scriptori aut ignotas, aut minus graves commemorat. 3) Deuteronomium denique, sive liber quintus aperte Mosen auctorem indicat. In eo enim legislator Moses conspectum praecipuarum legum populo denuo exhibet et inculcat, et sese ipse auctorem nominat Deut. I. 1. IV, 8 et XXXI, 9.

* Artem scribendi jam ante Mosen in Aegypto viguisse Plinius hist. nat. l. VII. probat, qui simul testatur, non solum lapidibus, et plumbo, sed et coriis, linteo, foliis et corticibus literas fuisse inscriptas.

b) Ex criteriis autem externis indubitatum est, Mosen esse auctorem Pentateuchi. Nam, ut codices, versiones et commentarios omittam, in quibus omnibus Mosi Pentateuchus tribuitur, stant pro hac veritate 1) domestica testimonia totius nationis judaicae, tum in traditione, quae ab ingressu in Palaestinam serie continua usque ad Christum decurrit, et cum statu nationis cohaeret; tum in libris Judaeorum, qui Pentateuchum supponunt, et innuunt, Mosenque legis auctorem aperte allegant. Josue post mortem Mosis omnia jam disponit, prouti in lege Mosis praescribuntur Jos. I. 7. VIII. 30. Judices omnia ad normam legis perficere student. David integras ex Pentateucho sententias et narrationes refert, et legem Mosis memorat. Facta post Salomonem regni divisione in regno utroque eadem lex Mosis servatur. Prophetae in explicanda et commendanda lege admodum frequentes sunt. cf. Quartalschrift von Linz. VII. Jahrg. II. B. 2) Accedunt testimonia extranea tum Samaritanorum, qui, Judaeis licet infensi, Pentateuchum tamen

retinuerunt, et Mosi adscripserunt; tum scriptorum Chaldaeorum et Graecorum, qui Mosi legislationem, et etiam Pentateuchum tribuunt. cf. Dan. Huetius: Dem. evang.

* Alii scriptores de historia Israelitarum aut tacent, aut fabulas proferunt, quia 1) historiam Israelitarum, ab aliis nationibus separatorum, ignorabant, aut libros eorum, idiomate peregrino scriptos, non intelligebant; 2) Aegyptii autem Israelitas oderunt et contemserunt.

§. 79.

Quodsi hac super re reflectamus, suppositionem Pentateuchi moraliter esse impossibilem intelligimus. Si quis enim Pentateuchum alio tempore, vel alio ab auctore scriptum esse dicat, jure petimus ab eo, ut auctorem istum nominet, suppositionis tempus assignet, et modum explicet. Jam vero

a) auctor iste nec unquam fuit nominatus, nec etiam nominari potest. Pentateuchum enim nec sacerdotes et levitae confecerunt, utpote quibus judices cum natione restitissent; nec judices ac reges, quibus sacerdotes cum natione sese opposuissent; nec integra natio, quae utique sibi ipsi non illudit.

* Pentateuchi auctor non fuit 1) Helcias, pontifex IV. Reg. XXII. coll. II. Paral. XXXIV. uti Spinoza vult cum Bolingbrokio. Helcias enim librum legis (authographum Mosis in arca repositum) reperit in domo Domini, et per Saphan, scribam, ad Josiam regem misit. Admiratio et consternatio regis, qui sub patre Ammon, idololatra, parum de religione audierat, ex

percepto libri argumento nata fuit: 2) multo minus sacerdos ille israeliticus, quem Asaraddon ad Cuthaeos misit, ut eos legitima Dei doceret. Omnis enim haec historia IV. Reg. XVII, 21 sqq. Pentateuchum non solum Judaeis et Israelitis, sed ipsis etiam Assyriis jamjam notum fuisse supponit. 3) Nec etiam Esdras confinxit: nam liber quartus Esdrae, ex quo haec opinio desumitur, apocryphus est; dein stilus Esdrae a stilo Pentateuchi diversissimus est; praeterea Esdras Samaritanos quoque ad acceptandum suum librum permovere debuisset: demum populus ipse ab Esdra petierat II. Esd. VIII. ut librum legis — utique jam notum — praelegeret. 4) Nec alius quispiam Pentateuchum confingere potuit: nemo enim, ab aetate Mosis remotior, omnia adjuncta, saepe minuta, tam accurate scire potuit; dein populus tot et tam graves leges etc. ab auctore incerto non acceptasset; denique et reliqui libri, Pentateucho veluti superstructi, confingi debuissent.

b) Suppositionis tempus assignari nequit 1) ante schisma, quia ab ipso ingressu in Palaestinam recentior erat Mosis memoria, quam ut fraus committi posset; et Josue jam omnia juxta librum Mosis disponit; sub judicibus divisio Palaestinae juxta legem Mosis facta est; sub primis regibus agnitum fuisse Pentateuchum, ex historia Samuelis, Davidis, et Salomonis constat: 2) post schisma ob capitale odium inter Judaeos et Samaritanos fieri non potuit, ut unum regnum alteri fraudem daret, vel utrumque communi impostori assensum praeberet.

c) Modus demum, quo suppositio perfecta, et toti nationi persuasa fuerit, explicari nullatenus potest. 1) Quis enim tam veterem historiam, admodum cohaerentem, religionem, illo aevo praestantissimam, et formam civitatis, tum nationi singulari,

tum regioni adeo accommodatam, invenire, et toti nationi sine indicio fraudis persuadere potuisset? 2) Quomodo natio integra, alias adeo dura, contumax et saepe rebellis, ad tot et tam graves leges sub conficto Mosis legislatoris nomine acceptandas, et per tot secula retinendas permoveri potuisset?

* Pro solvendis objectionibus observo a) in genere. 1) Testimonia ipsius nationis judaicae aliorumque hominum antiquissimorum conjecturis et audacibus recentiorum assertionibus praevalere debent. 2) Mirum non est, quod in libro tam antiquo non pauca inveniantur explicatu difficilia: nam geographiam, et historiam naturalem regionum ibidem nominatarum, mores item et consuetudines illarum nationum nondum satis novimus. 3) Plures ejusmodi difficultates ab interpretibus eruditis jam sunt solutae; reliquas etiam, continuato interpretum studio, adhuc solvendas esse speramus. b) In specie 1) mutatio nominum quorundam ex glossa in textum successive fuit inducta. 2) Jacob Gen. XLIX. filiorum suorum fata futura ex Dei revelatione describit. 3) Quodsi hinc inde alii libri nominantur, ex illis Moses ipse suam narrationem depromere potuit; deinde „liber foederis et bellorum“ non librum alterius scriptoris, sed relationes ipsas Mosis, sive capita quaedam Pentateuchi designare videtur. 4) De Mose sermo quidem fit in tertia persona; ast hoc solemne fuit scriptoribus, maxime orientalibus. Xenophon et Caesar de se ipsis in tertia etiam persona scribunt. 5) Narratio de morte Mosis a Mose ex revelatione Dei scripta, vel, uti indicia habentur, a Josue ad complendam historiam fuit addita.

§. 30.

Reliquos etiam canonis hebraici libros, etsi singulorum auctores et tempus accurrate

definire haud liceat, authenticos, seu tempore Josuam inter et Malachiam conscriptos esse, jure statuimus

a) ex criteriis internis: severa enim multorum seculorum crisi 1) nihil vel in materia, vel in stilo horum librorum detegi potuit, quod seriorem originem probet: sed 2) omnia potius authentiam ostendunt. Et quidem in libris historicis argumentum ordini rerum, rationi temporis et genio nationis sub Josue, sub judicibus et sub regibus convenit. In propheticis, quorum auctores haud dubie noti fuerunt, proprius cujusvis auctoris modus cogitandi scribendique cernitur, qui historiae ipsius et characteri respondet. In hagiographis musa Davidis, sapientia Salomonis, et prudentia gnomistarum reperitur.

b) Accedunt criteria externa ex consensu Judaeorum, hosce libros nunquam non ceu authenticos agnoscentium summaque veneratione prosequentium cf. §. 77. licet in iis multa, regibus, populo et sacerdotibus ingrata, proferantur.

c) Demum, si rem attentius perpendere placeat, facile intelligimus, libros hos non potuisse confingi 1) vel ab uno impostore; siquidem unus homo ea ingenii vi pollere nequit, ut inprimis adjuncta omnia temporis adeo diuturni accurate determinet; tum vero stilum et characterem viginti fere auctorum felici fraude imitetur, et omnes insuper linguae hebraicae vicissitudines a Josue usque ad Esdram sequatur: 2) vel a pluribus impostо-

ribus, quos si coaevos statuas, commune eorum consilium (ne mirus eorum consensus a casu fortuito repetatur) sumere debes ita, ut opus fraudis inter se distribuerent, et de singulis libris inter se conferrent: quo in casu, quoniam plus temporis et diligentiae ad scribendam fabulam, quam veritatem requiritur, spurius Malachias vix spurio Josua superstes esse potuit. Si vero succedentes admittis, impostores subsequi antecedentibus fideliter adhaesissent, omnesque tempore, loco ac indole diversi inaudito consensu fraudem perfecissent, et toti nationi repetitis vicibus persuasissent. Quae quidem omnia quis sanus credet?

* Contra haec argumenta recentiores adversarii non nisi conjecturas et hypotheses de die in diem novas proferunt, legibus criticis, quas in omni re historica sequimur, adversantes. cf. Beda Mayer tom. II.

§. 81.

Pentateuchum et reliquos canonis hebraici libros sine substantiali historiae et doctrinae mutatione ad nos pervenisse

a) ex criteriis internis colligimus, quia in hodierno textu omnia sunt talia, qualia ab auctoribus nominatis et tempore allegato scribi potuerunt.

b) Criteria externa eandem integritatem probant: nam cum hodierno textu — (quoad Pentateuchum) — consentiunt codices tum Jerosolymitani, tum Samaritani; — (quoad omnes libros) — versiones antiquae, nempe graeca LXX. chaldaica, Aquilae, Symachi, Theodotionis, Hesichii, Luciani, aliaeque ignotorum auctorum, quas Origenes

contulit; citationes tum apud Josephum et Philonem, tum in libris N. T. (in quibus tamen versio LXX. vulgo allegatur) et apud Patres, maxime apud Origenem et S. Hieronymum.

c) Denique si usum horum librorum eorumque argumentum attendamus, corruptionem substantialem nec a sacerdotibus et levitis, nec a judicibus et regibus, nec ab integra natione, neque ante, neque post schisma fieri potuisse perspicimus. Profecto 1) circa Pentateuchum Moses jubet ipsum autographum servari in arca Deut. XXXI, 26. vetat sub extremo piaculo Deut. IV, 2. ne quis addere aliquid, vel detrahere audeat; constituit pro custodia ejusdem tribum specialem (Levi) eamque per reliquas tribus divisam; commendat ejus lectionem — privatam Israelitis, judicibus, levitis, ipsisque regibus, Deut. XVII, 18. et publicam septimo quovis anno Deut. XXXI. coll. II. Esd. VIII, 17. Deinde tum festa a Mose instituta, nempe Paschatis ob liberationem ex Aegypto Ex. XII, 24. Pentecostes ob legislationem Sinaiticam Deut. XVI. 12. et Tabernaculorum ob commorationem in deserto et occupationem Palaestinae Lev. XXIII, 43. tum res, in arca asservatae, nempe tabulae legis, quae cum gestis ad montem Sinai, virga Aaronis, quae cum sacerdotio, et panes propositionis, qui cum fatis in de erto cohaerebant, substantiam Pentateuchi in memoriam revocabant. 2) Circa reliquos libros fere eadem valent momenta: libri enim isti publicam ipsius nationis historiam, saepe parum honorificam, duras prophetarum objurgationes populo, sacerdotibus, et regibus factas etc. continent; simili

fere cura a Judaeis servabantur, et praelegebantur, et teste Jesepho innatam quasi reverentiam Judaei erga hosce libros exhibuerunt, ita ut extrema quaeque pro iis pati, quam aliquid addere vel demere mallent.

* His omnibus accedit, 1) nec prophetam ullum, nec Christum, nec apostolos Judaeis corruptionem objecisse; 2) post Christum Christianos ac Judaeos simul in toto orbe dispersos pro integritate canonis hebraici vigilasse; et 3) libros in eo contentos inter se connecti, ut proin corruptio, siqua tentata fuisset, ad omnes extendi libros debuisset.

** Pro solvendis objectionibus annoto. 1) Lectiones variantes, quarum magnam multitudinem Houbigant, Kennicott et de Rossi collegerunt, substantiam historiae et religionis non attingunt; sed vel literas tantum, vel nomina locorum etc. concernunt, et ex regulis criticis tolli possunt. 3) Equidem aliqui Patres de interpolatione a Judaeis vel tentata, vel etiam facta conqueruntur. Verum haec talis mutatio non tam de textu hebraico, quam graeco objiciebatur. Deinde Origenes et S. Hieronimus, qui tamen praecipuam hac in re auctoritatem habent, Judaeis talem corruptionem non objiciunt. 4) Prophetias Messianas mutandi ante Christum nulla erat causa; post Christum autem Judaei eas mutare nequidem poterant, quum eaedem etiam in manibus Christianorum essent.

§. 82.

Moses, auctor Pentateuchi, summa etiam pollet auctoritate sive omni fide dignus est.

a) Primo enim Moses omnes boni historici partes implere potuit et voluit. Et quidem 1) notitia Mosis colligitur exinde, quia ipse vir fuit magni ingenii, uti ex spiritu constitutionis Israeliticae cernitur, eruditus in omni sapientia Aegyptiorum et Israelitarum: deinde habuit occasionem capiendi notitias de historia patriarchali vel ex sola traditione — propter longiorem Patriarcharum vitam, eorumque auctoritatem, et propter magnum factorum et eventuum illorum momentum, vel etiam ex documentis; et de reliquis factis, quorum ipse vel testis fuit, vel minister. Denique ingenio suo, et occasione bene usus est Moses, uti colligimus ex stilo breviori in Genesi de tempore Adamitico et Noachico; prolixiori de Abrahamidis; tum ex narratione reliquis in libris cohaerente, ex recensione adjunctorum et sapienti ad finem suum dispositione etc. 2) Sinceritas Mosis facile ostenditur: nam in charactere Mosis non ambitio Ex. III. non amor divitiarum Num. XVI, 15. nec studium commoditatis Ex. XVII. sed amor erga Deum, et amor populi maxime in Deuteronomio cernitur. Dein argumentum Pentateuchi omnem mendacii suspicionem excludit; narratur enim historia, prius jam nota, eaque saepius parum honorifica, et lex nova, admodum severa. Stilus denique probat, Mosen fideliter vel ex testibus, vel ex propria experientia referre: nec ullibi Moses populo blanditur, nec proprios etiam nec suorum reticet defectus.

* Totum traditionis filum ab Adam ad Mosen per paucos ducitur viros — Mathusala, Sem, Abraham, Jacob, Joseph.

b) Unde

b) Unde etiam auctoritas Mosis non solum firma et stabili fide totius nationis, alias durae et rebellis, et ipsorum Samaritanorum aguita fuit; sed testimoniis etiam extraneorum confirmatur.

c) Denique si argumentum Pentateuchi, et characterem tum Mosis, tum nationis attendimus, Mosen nec voluisse, nec potuisse decipere patet. 1) Nullum sane mendacii indicium; motivum nullum assignari potest, quod Mosen ad onus tam grave suscipiendum, et sustinendum permovere potuisset. 2) Circa facta publica, quibus consitutio nova et severa superstruitur, et circa historiam talem, qualem Moses refert, natio adeo numerosa, pertinax et saepe rebellis decipi omnino non potuit.

* Contra eos, qui hodie Mosen, virum Dei, bene gestis inter omnes legislatores eminentem, inique tractant, observo: 1) Moses non usurpavit imperium. Quare enim octogenarius demum ordiri voluit rem difficillimam et periculo plenam, cujus eventum felicem, finemque sperare vix potuit? Moses divinam suam missionem, uti suo loco videbimus, satis superque probavit. 2) Moses nec ipse fuit deceptus, nec etiam pia, ut dicere amant, fraude populum decepit. Qua enim in re facta fuit illusio vel deceptio? quomodo inter continuos labores, pericula inter maxima, perstitit illusio illa vel deceptio? quare post mortem Mosis omnis natio Mosi legique ab ipso promulgatae adhaerere pergit?

§. 83.

De reliquorum librorum auctoritate dubitare haud licet, cum natio judaica eos in canone suo semper habuerit, et magna veneratione

coluerit. In specie libri historici vel ab auctoribus coaevis (uti de summa libri Josue) vel ex monumentis publicis (uti de libris Regum censent) conscripti fuere. Librorum propheticorum auctores, fere noti, auctoritatem suam tum ratione vitae, tum eventu prophetiarum satis probant. Hagiographi — a Davide maxime et Salomone, pietate et sapientia conspicuis, oriundi tum ob argumentum suum, tum ob characterem auctorum fidem merentur.

§. 84.

Corollaria. I. Libri V. et N. T. omnes alios libros non solum argumento, et effectu; sed etiam authentia superant.

II. Singulare divinae providentiae beneficium est, libros tam longo saeculorum cursu, et tot inter vicissitudines fuisse servatos, et quidem sine mutatione substantiali.

III. Libri illi documenta sunt omni fide digna, ita ut ea, quae in iis narrantur, vere evenisse, certo sciamus.

Caput II.

Existentia divinae revelationis.

§. 85.

Ex his jam documentis, revelationem a Deo hominibus omni tempore concessam fuisse, discimus.

Dedit autem Deus revelationem suam pro infinita sua sapientia et bonitate tribus potissimum temporum momentis. Unde tres revelationis periodos distinguere convenit; Patriarchalem ab Adamo usque ad Mosen; Mosaicam a Mose usque ad Christum, et Christianam a Christo usque ad finem mundi.

* Unus quidem semper est Deus; una etiam hominum erga Deum relatio, unaque religio vera et perfecta. Sed diversa est diversis temporibus capacitas hominum, diversaeque sunt eorum indigentiae etc. cf. Ans. Rittler: Ecclesia Dei mundo coaeva. cl. Oberthür: Idea ecclesiae Dei biblica, et Stolberg: Geschichte der Rel. J. Chr. I. tom.

Sectio I.

Divina revelatio in periodo Patriarchali.

§. 86.

De religione Patriarchali solus Moses est testis authenticus; ex quo divina religionis Patriarchalis origo rite est evincenda.

a) Moses est auctor libri Genesis, in quo historia Patriarcharum ab Adamo usque ad Josephum refertur, et auctor quidem fide dignus, uti cap. I. S. II. ostensum est. Nemo autem alius testis, fide dignus assignari potest, uti Justinus, Tertullianus et Tatianus observarunt, et post ipsum Bayle omnes

notae melioris historici cum Joanne de Müller confitentur.

b) Ex Mose ergo religionem Patriarcharum deducere, ejusque ex divina revelatione originem juxta characteres revelationis in — et externos ostendere oportet.

* Moses non ipsam religionem Patriarcharum, sed facta et fata eorum potissimum recenset, ex quibus tamen perspicitur, quid cogitaverint et senserint Patriarchae circa capita religionis: Patriarchae enim religionem suam omni sua cogitandi, loquendi agendique ratione ceu sincerissimo genuinae religionis testimonio satis ostendunt. Unde historia Patriarcharum, quae commode in tres epochas — Adamiticam, Noachicam et Abrahamidicam — dividi potest, in libro Gen. investiganda, et cum Eccleo cap. XLV. et S. Paulo Hebr. XI. comparanda est. cf. Dobmayer tom. III. p. 190 — 217 et Nat. Alex. hist. eccl.

Articulus I.

Religio patriarchalis.

§. 87.

Ex Mose, teste authentico, imprimis theoreticam Patriarcharum religionem, seu eorum fidem, discimus.

Et quidem a) primo agnovit ea aetas 1) Deum, ceu omnipotentem, sub nomine Schaddai Ex. VI, 3. coll. Gen. XVII, 1. ubi dixit Deus ad Abraham: „Ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus.“ Qui quidem de Deo conceptus ex historia creationis, in familiis Patriarcharum solicite conservata, innotuit, et infirmitati

aevi primi congruebat, simulque ad fovendum cultum Dei quam maxime serviebat. 2) Agnovit Deum unum, creatorem coeli et terrae, et omnium, quae sunt in coelo et in terra providumque mundi gubernatorem. Alius enim Deus Patriarchis non innotuit, nisi is, qui Gen. I, 1. „in principio creavit coelum et terram:" qui ceu unus et supremus Dominus Adamitis Gen. I, 28. et II. tum Noachidis IX. dominium concessit in res omnes. Deum ceu providum eventuum in mundo, et fatorum humanorum gubernatorem Patriarchae non poterant non agnoscere ex eventu praedictionum de effectibus primi peccati Gen. III. et IV. de diluvio Gen. VI, 13 sqq. et VII. de nativitate Isaaci et interitu Sodomae Gen. XVIII. de prima parte promissionis Abrahamo, Isaaco, et Jacobo factae, quae in Aegypto jamjam impleri coepit. 3) Agnovit Deum ceu legislatorem, et judicem moralem, qui Adamitis Gen. II, 16. 17. Noachidis Gen. IX, 3 sqq. et Abrahamidis Gen. XVII. leges dedit; protoparentes et Cainum in judicium vocat poenasque intentatas iis irrogat, justum Noe cum familia sua conservat, mundumque improbum perdit; Sodomitas igne et sulphure absumit, justumque Loth liberat etc. 4) Specialem mentionem meretur, quod Patriarchae, Adam, Abraham, Isaac et Jacob promissionem venturi Salvatoris acceperint, quam Jacob Judae assignavit, uti infra C. III. fusius ostendetur.

b) Alterum articulum de homine quod spectat, Patriarchae 1) discrimen animae et corporis agnoverunt, uti vel ex sola historia creationis patet; 2) dignitas hominis ex ordine creationis, ex

dominio super omnia animantia, praesertim autem ex imagine divina ipsis innotuit, ad quam homo creatus esse repetitis vicibus dicitur: 3) libertatem hominis ipsae leges a Deo datae protoparentibus, Noachidis et Abrahamidis, addita simul tum promissione praemii, tum comminatione poenarum roboratae, sat clare enuntiant. Accedunt verba Dei ad Cainum: Gen. IV, 7. „Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?“

c) Nec tertius articulus de futura post hanc vitam retributione ignotus Patriarchis fuit. Ut enim obscuriora hujus fidei indicia in praecepto Gen. II, 17, in promissione Gen. III, 15. et voce Abeli occisi Gen. IV, 10 omittam, clariora extant 1) in variis loquendi formulis: sic Jacob vitam suam super hanc terram vocat peregrinationem Gen. XLVII, 9. utpote qui futuram patriam, interprete Paulo, inquirebat: cf. Joa. VIII, 56. Deum appellant Patriarchae Deum patrum, jam mortuorum. Jam vero Christus Mtt. XXII, 32. ait: „Non est Deus mortuorum, sed viventium.“ Abraham, Isaac et Jacob dicuntur congregati ad populum suum, et sepulti a filiis suis; ubi congregatio ad patres, et ad populum discernitur a sepultura; et Jacob de filio suo Joseph, quem a feris discerptum putabat, dicit Gen. XXXVII, 35. „Descendam ad filium meum lugens in infernum.“ 2) Insigne fidei hujus et excitandae et fovendae medium concessum fuit in translatione Henochi Gen. V, 23, 24. „Ambulavit“ (Henoch) „cum Deo, et non apparuit: quia tulit eum Deus.“ Quae quidem verba in sensu proprio esse accipienda, contextus docet, quia

translatio Henochi cum pietate ejus conjungitur, Mosesque finem vitae omnium aliorum Patriarcharum indicat per verba: „Et mortuus est:“ tum etiam interpretatio Ecclesiastici XLIV, 16. et S. Pauli Hebr. XI, 5. confirmat.

§. 88.

Ad religionem porro practicam, quae ex religione theoretica enascitur, aetas patriarchalis tum voce conscientiae, tum legibus et factis excitabatur.

a) Inprimis Patriarchae, qui unum verum Deum, creatorem, supremumque omnium dominum credebant, verum etiam et moralem Dei cultum exercebant, in omni sua agendi ratione ad Deum, sanctamque Dei voluntatem respicientes. Unde Moses totam Patriarcharum vitam describens has adhibet formulas: „fuit justus — placuit Deo — invenit gratiam coram Deo — ambulavit cum Deo — fuit perfectus coram Deo“ etc.

b) In specie historia Patriarcharum ostendit, eos et agnovisse et exercuisse 1) officia erga Deum: — fidem nempe unius veri Dei, timorem Dei, gratum animum, filialem erga Deum obedientiam, et praecipue fiduciam in omni rerum eventu inconcussam apud Patriarchas ubique conspicimus. Notari meretur, quod Patriarchae non nunquam juraverint, sicque suum cultum internum erga Deum omniscium, sanctum, justum etc. clare ostenderint. 2) Officia erga se, officium nempe laborandi, et moderandi, cupiditates, affectusque animi, ex praecepto divino

Patriarchae cognoverunt. 3) Officia erga alios praecipua illisque temporis et rerum adjunctis convenientia impleverunt, uti officium obedientiae et reverentiae erga parentes, hospitalitatis, curae et vigilantiae singularis pro castitate filiarum custodienda etc. hominem, ad imaginem Dei creatum, quod non liceat occidere vel laedere, ex divino itidem noverunt praecepto.

* Hodierni revelationis adversarii dicta et facta quaecumque gentilium laudabilia avide conquirunt et summis extollunt encomiis, scelera illorum reticent et tegunt, facinora excusant, et in bonam interpretantur partem; erga Patriarchas autem summum exercent rigorem, eorum naevos, utut leves, exaggerant, et sceleribus nefandis non nunquam accensent, facta et dicta illorum egregia, piamque ipsorum indolem aut subdole reticent, aut omnino inique in malam trahunt partem. cf. cl. Hafsler: Exegetische Andeutungen über schwerere Stellen der heil. Schrift des alten Bundes. Reutlingen 1821.

§. 89.

Religionem demum externam Patriarchae eo, qui aevo isti congruit, modo exercuerunt.

a) In aetate quidem patriarchali nec specialem sacerdotum statum, nec templa stabilia, nec etiam cultum certis legibus definitum invenimus; externam tamen religionem, quae ex interna intellectus et voluntatis religione lege quadam naturali nascitur, internamque signis externis exprimit, apud Patriarchas a potiori quasi jam supponimus, et teste historia ubique cernimus. Paterfamilias quippe fami-

liae suae praeses simul, et sacerdos fuit; et ubicumque in nomadicis itineribus occasio se offerebat, altaria erigebantur, et cultus divinus exercebatur vario modo.

b) In specie 1) sacrificia, quae sunt praecipua cultus externi pars, mature, duce natura, vel monitore Deo, occurrunt, et per omnem aetatem durant. Ipsi jamjam protoparentis filii, Cain de fructibus terrae, et Abel de primogenitis gregis sui Deo offerunt, supremum Dei dominium et beneficentiam ejus recognoscentes: ubi insuper indicatur, munera Abel propter ejus probitatem Deo placuisse. Noe, secundus orbis pater, eucharisticum de animalibus mundis sacrificium Deo offert. Abraham celebrato sacrificio foedus cum Deo init; Jacob solemniori ritu altare erigit, et peracta suorum purgatione domum Dei aedificat. 2) Sacrificiis accessit invocatio Domini, quam Enos jam publicare inchoavit, Noe cum sacrificio conjunxit, Abraham, Isaac et Jacob saepius tum pro se, tum pro aliis effundunt. cf. cl. Brenner: Darstellung der Offenbarung. p. 43. sqq. In historia Abrahami juramentum, et in historia Jacobi Gen. XXVIII, 20. votum etiam occurrit. 3) Singularem mentionem meretur circumcisio, sacramentum orbis antiqui praecipuum, signum foederis, et initiatio ad civitatem Dei Gen. XVII, 12 sqq. qua Abrahamidae ad sectandam patris fidem et pietatem impellebantur, simulque, promissionum ipsi factarum participes reddebantur. cf. Butler: Leben der Väter und Märtyrer, von Raefs und Weis. Mainz 1823. I. B. S. 4, 5.

* Sacrificia Patriarcharum fere erant latreutica, eucharistica, vel impetratoria. Sacrificia propitia-

toria, quae serius adhibebantur, reprobari nullatenus debent, dummodo a vitiis sint libera: ea enim ex recognitione sanctitatis, justitiae et bonitatis divinae, ex agnitione propriae vitiositatis, et ex sensu poenitentiae oriuntur, animo offerentis tranquillitatem conciliant, et propositum emendationis ingerunt.

Articulus II.

Divina religionis patriarchalis origo.

§. 90.

Hanc Patriarcharum religionem non a sola ratione naturali, sed ex singulari Dei institutione esse repetendam, ex characteribus revelationis internis jamjam colligimus.

a) Religio enim patriarchalis non solum immunis est ab erroribus gentilium; sed etiam in se bona, Deo digna, et hominibus primae aetatis conveniens et sufficiens est, utpote quae prima omnis religionis capita continet, simulque fundamentum est, cui Moses et Christus superstruunt; multoque melior est religione tum populorum cultissimorum, non modo coaevorum Phoeniciorum, et Aegyptiorum, sed etiam subsequentium Graecorum et Romanorum, tum Sophorum, quos Graecia laudat et Latium, uti P. I. cap. II. ostensum fuit.

b) Quod si hac super re reflectamus, hanc talem Patriarcharum religionem non nisi ex institutionis divinae interventu plene explicari posse, intelligimus. 1) Una ex parte apud Patriarchas

indigentiam talis institutionis deprehendimus. Quomodo enim Patriarchae, novi terrarum incolae, simplices, sensuales, humana institutione destituti, curandis vitae necessitatibus etc. occupati tam mature hanc talem religionem proprio studio sibi comparare, et multiplices ac absurdos aliorum populorum, et Sophorum etiam errores ac defectus tam feliciter evitare potuissent sine singulari Dei auxilio, quum ratio sibi soli relicta — omni aevo — non nisi tarde, et variis indigentiis et eventibus excitata ad sublimes religionis veritates cogitandas et cognoscendas attollatur, variosque per errores trahatur, et dubia inter multa fluctuet? 2) Altera ex parte Deus — (ita quidem de Deo optimo cogitare debemus) — homines, creaturas suas praestantissimas, casui et errori haud reliquisse censendus est; sed potius iisdem in negotio illo gravissimo succurrit, et non solum creator eorum extitit; sed patris quoque et educatoris partes quasi egit providentissime.

* Pro solvendis objectionibus observo. 1) Tenuis quidem fuit Patriarcharum religio; sed in se bona fuit, et siquis omnem primae illius aetatis conditionem sine partium studio attente consideraverit, eam convenientem Patriarchis et sufficientem fuisse intelliget. 2) Anthropomorphismus, quo nos etiam, de Deo loquentes, nondum plene carere possumus, apud Patriarchas purior et nobilior fuit, quam apud ipsos Graecos et Romanos.

§. 91.

Ex characteribus porro externis aperte discimus, Patriarchas religionem suam ex divina potissimum institutione sive reve-

latione hausisse. Moses enim, testis authenticus, ex quo solo genuinam historiae et religionis patriarchalis notitiam capere possumus, clare refert, religionem Patriarcharum duobus potissimum modis a Deo excitatam et conservatam fuisse, theophaniis nempe, et eventibus extraordinariis, cum praedictione conjunctis.

a) Theophania (apparitio Dei) indicat actionem Dei, ex qua Patriarchae ad cogitationem Dei praesentis et agentis excitabantur, et salutarem percipiebant instructionem. Tales jam theophanias Patriarchis per omnes epochas actu obtigisse, Moses refert; et quidem in momentis vitae gravibus, et ad fines tum Deo dignos, tum hominibus salutares. 1) Adamo apparet Deus ceu Dominus universi mundi et ceu legislator Gen. II et ceu judex post peccatum Gen. III. Caino item Gen. IV. 2) Cum Noacho Deus colloquitur, justitiam suam ostendit, cum instruit de diluvio, salutem ipsi promittit Gen. VI. et VII. eique leges Gen. IX. promulgat. 3) Abrahamo praecipit, ut in Palaestinam migret ad evitanda impietatis pericula Gen. XII. duplicem promissionem ei dat etc.

* Quisquis attente et ingenue hasce theophanias perpenderit, eas Deo dignas, et humanae conditioni — in prima maxime aetate — accommodatas et salutares fuisse intelliget; utpote quae ad fidem, obedientiam et pietatem excitandam ac fovendam, et ad felicitatem promovendam optime serviebant. cf. Stolberg: Geschichte der Religion Jesu: I. Th. S. 335 — 338.

b) In theophaniis plerumque praedictio eventuum futurorum. et saepe extraordi-

nariorum intervenit; quam cum Patriarchae eventu ipso ratam conspicerent, non poterant non excitari ad religionem, ad agnoscendam Dei potentiam, justitiam, bonitatem, veracitatem etc. ad fovendam fiduciam, obedientiam etc. Tales eventus, antea praedicti, erant 1) poenae protoparentibus intentatae, et postea experientia comprobatae, 2) diluvium, liberatio familiae Noachicae, restitutio ordinis rerum: 3) interitus Sodomae, nativitas Isaaci, ejusque conservatio.

* Moses narrationem suam pro vera historia habuit, et tanquam veram historiam populo Israel tradidit, quam nos etiam cum omni populo Israel et cum Christianis omnibus, divinam revelationem ingenue reverentibus, ceu veram historiam recipere malumus, quam conjecturas meras sequi cum multis scriptoribus acatholicis, qui hypotheses hypothesibus addunt sine fundamento, ex textu sacro nunc quaedam demunt, nunc quaedam ei addunt, varieque pro arbitrio eum mutant, ut tortis suis explicationibus speciem quamdam verisimilitudinis concilient. Refutandis dicteriis, et calumniis, quas recentiores isti scriptores undique avide conquirunt, et in Patriarchas, eorumque religionem congerunt, immorari non vacat — labore ingrato. cf. Hafsler l. c. et Stolberg: Geschichte I. Theil.

§. 92.

Corollaria. I. Deus iu prima jam aetate singulari modo curam generis humani gessit.

II. In hac periodo Deus omni generi humano bis revelatam dedit religionem, primo per Adamum, secundo per Noachum.

III. In ultima hujus periodi epocha Deus familiae Abrahamidicae praescripsit religionem, quae tamen ad salutem omnium gentium destinabatur.

* Alii populi ex sua culpa a vera religione defecerant, et polytheismo ac idololatriae immersi ad veram religionem redire tum neglexerunt, tum recusarunt.

Sectio II.

Divina revelatio in periodo mosaica.

§. 93.

Impleta jamjam erat una promissionis pars, quam Deus Abrahamo de multiplicatione familiae per Isaacum, ejusque commoratione in servitute Aegyptiaca Gen. XV, 13. fecerat. Unde alteram quoque partem de danda eidem Palaestina exequi Deus statuit, eumque in finem elegit Mosen, qui populum ex Aegypto liberaret, eique constitutionem accommodatam daret. A religione ergo patriarchali progredimur ad mosaicam, et 1) constitutionem, quam Moses populo Israel dedit, exponimus, tum 2) auctoritatem ejus divinam vindicamus.

* Ut articulus uterque solide tractari possit. operae pretium est, brevem Mosis historiam praemittere, et quaedam monere de charactere Mosis. 1) Historia Mosis privata exhibet nobis multiplicationem Israelitarum in Aegypto, tristem eorum sortem, et duram servitutem: dein nativitatem Mosis, mira-

bilem ejus conservationem, bonam in aula regia educationem: et demum discessum ejus tum ex aula regia, tum ex Aegypto et commorationem apud Jethro Ex. I. et II. Act. VII. et Hebr. XI. In publica Mosis historia ab anno actatis octogesimo usque ad centesimum vigesimum primo occurrit vocatio Mosis ad munus liberatoris, ducis et legislatoris Israelitarum Ex. III. et IV. Dein memorantur gesta ejus tum in Aegypto, ubi dimissionem nationis suae a Pharaone, tum in deserto, ubi acceptationem legis a populo obtinet. Demum narratur mors, quam Moses, ostensa sibi in monte Palaestina, obit, in loco ignoto sepultus. 2) In hac historia primo Moses vir vere magnus — ingenio, animo et factis — cernitur; liberator nationis injuste oppressae, dux ejus et legislator. Eadem historia dein characterem ejus ab omni ruditatis, fanatismi et fraudis suspicione vindicat; Mosenque Dei et nationis suae vere amantem ostendit. In ea demum singularis Dei providentia elucet, quae Mosen in juventute conservat, et conjuncta Aegypti ac Israelis cultura imbuit, tum vero in liberatione populi, et legislatione adjuvat. cf. Biblische Geschichte von Overberg oder von Christoph Schmid.

Articulus I.

Constitutio mosaica.

§. 94.

Constitutio, quam Moses populo Israel dedit, tres continet partes Deut. VI, 1. nempe praecepta seu doctrinas religionis tum theoreticas, tum practicas; ceremonias pro cultu Dei externo; et judicia sive leges civiles.

a) Haec enim omnia ad veram et duraturam Israelitarum felicitatem erant necessaria. 1) Religio — (fides, pietas, et oriundi exinde mores boni) — basin et fundamentum reipublicae constituit. 2) Religio interna in societate vigere non potest sine cultu externo, et eo quidem publico, quem Moses Israelitis praescripsit et eum quidem tum conditioni aevi illius, et indoli nationis, tum fini apprime accommodatum. 3) Leges demum civiles, in omni republica necessarias, cum ipsa religione sapienter conjunxit, ut politia et religio mutuo sese juvarent et sustentarent.

b) Singulas igitur constitutionis mosaicae partes breviter recensere oportet.

* Adversarios heic habemus et multos, et infensos, Theistas nempe — ex Anglia, Bolingbroke, Morgan, Tindal, Toland etc. ex Gallia Voltairium cum sectatoribus suis: ex Germania Bahrdt, Kannt etc. In explicanda et defendenda Mosis constitutione inter Acatholicos utilem operam collocarunt Leland, Warburton, göttliche Sendung Mosis" Lilienthal „die gute Sache der christl. Offenbarung" Michaelis „Mosaisches Recht" Hefs „Geschichte Mosis etc." ex Catholicis praeter Calmet Comment. et Dictionn. bibl. commendantur Beda Mayer, Sandbichler, „Göttlichkeit des mos. Gesetzes" Oberthür „Idea ecclesiae Dei biblica" Stolberg: Geschichte der Rel. II. Th. und „Betracht. und Beherz. der h. Schrift."

§. 95.

Prima constitutionis pars est religiosa, et symbolum quasi ac codicem complectitur, sive doctrinas fidei ac morum.

a) Sym-

a) Symbolum quidem articulos religionis patriarchalis exponit et toti nationi commendat. Articulus primus est de Deo, quem Moses 1) non ceu novum, sed ceu Deum patrum, Abraham, Isaac et Jacob Ex. III, 14 — 17. annuntiat; qui nempe ab istis patribus agnitus et adoratus fuit, suosque cultores protexit. 2) Hujus Dei unitatem Moses ceu legem fundamentalem nationi proponit: Ex. XX, 1 — 6. Deutr. IV, 35. „Ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum.“ item 39. „Scito ergo . . . quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius“ et Deutr. VI, 4. 5. cum hoc articulo praeceptum diligendi Deum ex toto corde conjungit. 3) Ejusdem relationem ita explicat, ut Deum — creatorem coeli et terrae, quem patres jam coluere, Ex. XX, 11. et justum boni ac mali vindicem ubique exhibeat. Ex. XIX, 4 — 8. XXIV. 7. 8. Deutr. XXVIII. XXX. 4) Perfectiones Dei equidem potissimum terrificas populo duro promulgat; sed benevolas etiam celebrat tum in canticis suis Ex. XV. et Deutr. XXXII. cf. Gesänge der h. Schrift als Anhang zu den Psalmen: von Fr. Jos. Weinzierl. Augsburg. tum alibi saepius celebrat: Ex. XXXIV. 6. „Ait“ (Moses) Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis, ac verax. Deutr. X, 14. 17. 21. et XXXII, 4. 5) Ut fidem in Deum sua in natione firmaret Moses, sapienti consilio historiam creationis, Patriarcharum, liberationis ex Aegypto data quavis occasione adhibet.

De articulo altero, qui de homine agit, Moses iis, quae Patriarchae jamjam agnoverant, 1) su-

peraddit peculiarem Israelitarum praerogativam, non ex merito eorum, sed ex libera Dei electione oriundam; et 2) libertatem, ut obedientia et fidelitate benedictionem, inobedientia autem et infidelitate maledictionem acquirere possent, expresse memorat Deutr. XI, 26 — 28. et XXX, 15 — 20. „Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum .... Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum etc.“

Tertium articulum de immortalitate, sive de futuro post hanc vitam statu Moses supponit ceu articulum, populo aliunde jam notum ex aetate patriarchali, ejusque fidem fovet eo ipso, quia Deum ceu Deum Patrum, jam pridem mortuorum, annuntiat; dein fidem istam a superstitione consulendi mortuos Deutr. XVIII. 11. praeservat; eam denique facto terrifico circa Core, Dathan et Abiron confirmat Num. XVI, 28 — 33. Accedit, quod alii sacri scriptores veteris testamenti, qui spiritum legis mosaicae certe noverunt, hanc fidem clare profiteantur, uti in theol. spec. ostendetur.

* Multi hodie — qua intentione, et cui frugi, nescio! — a Mose unitatem Dei in sensu stricto pronunciatam fuisse negant. Verum falluntur et fallunt, nam 1) Moses alium Deum nullibi praedicat, nisi Deum, qui creavit coelum et terram et omnia, quae in eis sunt; qua loquendi formula omnes et singulos gentilium Deos excludit: 2) aperte dicit, Deum unum esse, et praeter eum non esse alium; et aliarum nationum Deos (seu quos aliae nationes pro diis habent) non esse deos. Quando Deum vocat Deum Israelitarum, id duntaxat indicat, quod soli Israelitae unum verum Deum agnoscant et

colant, pluraque ac insigniora ab uno vero Deo recipiant beneficia; et quod Israelitae ad conservandam Dei unius fidem ab aliis gentibus, plures agnoscentibus Deos, separati esse debeant. Unde 3) Psalmista, et Prophetae, optimi utique interpretes Mosis, legisque ab ipso latae tutores insaniam idololatriae ostendunt, et unitatem Dei vindicant.

b) In codice, sive in religione practica, quae tum officia, tum motiva complectitur, major adhuc Mosis diligentia erat necessaria, quam in symbolo.

Officiorum fere omnium complexus in decalogo exhibetur, qui non sine speciali providentia duabus tabulis inscriptus duplex praeceptum — diligendi Deum ex toto corde, et proximum — declarat, et magna cum solemnitate Ex. XX. fuit promulgatus saepiusque a Mose commendatus. 1) Praeceptum diligendi Deum, quod tribus primis decalogi praeceptis determinatur, alibi etiam a Mose fuit inculcatum: Deutr. VI, 4. et X. 12. „Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo . . . . custodiasque mandata Domini et ceremonias ejus.“ 2) Praeceptum diligendi proximum Moses in septem alterius tabulae praeceptis definit, prohibens ea, quae huic dilectioni praecipue repugnant, et praescribens ea, quae ab ista dilectione quam maxime imperantur. Extra decalogum Moses hanc dilectionem magis determinat, eamque primo extendendam esse docet erga advenas, erga viduas et pupillos Ex. XXII, 21 — 24. erga pauperes Ex. XXIII, 10. 11. Deutr. XV, 7 — 11. erga servos, et senes, erga surdos, coecos etc. Lev. XIX. 13. sqq. quin imo erga ipsos etiam inimicos

Ex. XXIII, 4. 5. „Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.“ Deinde specialia etiam officia — parentum, Deutr. VI. 20 — 25. judicum, testium, conjugum, dominorum, sacerdotum etc. variis in locis promulgat.

* Singularem mentionem meretur, quod Moses non externas tantum actiones malas, sed ipsam etiam concupiscentiam malam prohibeat Ex. XX, 17. et quod frequenter veram conversionem ad Deum exigat, et prophetis ulteriorem legis explicationem commendet.

Motiva quod attinet, 1) ante omnia notari debet, quod Moses omnia praecepta tanquam leges Dei, ceu supremi domini, promulget, et ex sanctissima Dei voluntate observanda esse pronunciet. 2) Deinde Moses praecipue terrestrem benedictionem promittit obedienti, maledictionem autem inobedienti nationi intentat: Ex. XX. Deutr. XXVII. quod quidem motivum et verum fuit, et nationi accommodatum. 3) Demum nobiliora etiam motiva saepius suggerit, nempe venerationem majestatis et sanctitatis divinae Lev. XIX. gratitudinem erga benefactorem; amorem et timorem Deutr. VI, 5 — 10 etc.

* Motivum ex poenis et praemiis alterius vitae Moses qua legislator nationis, cujus fata, obedientiae et inobedientiae respondentia, in alterum orbem differri non poterant, non adhibuit quidem; attamen obedientiam nationis admodum rudis et durae multo efficacius per terrestrem sanctionem promovit.

§. 96.

Altera constitutionis pars — liturgica — ceremonias complectitur, et cultum veri Dei externum determinat.

a) Moses nationi suae ceremonias sat multas, easque accurate etiam definitas praescripsit tum propter conditionem aevi illius, quo reliquus orbis deos suos ritibus partim superstitiosis, partim etiam obscoenis et crudelibus colebat; tum propter indolem nationis sensualis, quae insuper contra exemplum Aegypti et Palaestinae majori rituum copia et apparatu indigebat, ut eorum ope ad legalitatem et moralitatem sensim adduceretur, et separata a consortio aliarum nationum longius etiam a periculis idololatriae, et scelerum exinde oriundorum removeretur.

b) Hinc Moses sapienti consilio definivit 1) locum publici cultus, et quidem unum, ut unitas servaretur, abusus varii praecaverentur, et reverentia erga locum sacrum promoveretur. Et quidem in deserto, cum templum stabile nondum aedificari posset, tabernaculum portatile fieri procuravit, tribus constans partibus, atrio, in quod populo; sancto, in quod sacerdotibus; et sancto sanctorum, in quod sacerdoti summo semel in anno ingredi licuit, ut ordo et reverentia servaretur. In tabernaculo stabat arca foederis, in qua tabulae decalogi, volumen legis, virga Aaronis, et urceus manna impletus servabantur; quae quidem res omnes memoriam beneficiorum divinorum excitabant, et ad obedientiam impellebant, et symbolum quasi erant Dei praesentis.

2) Pari sapientia tempus determinavit: nempe Sabbathum in memoriam creationis Ex. XX. et ad quietem tum servorum, tum pecorum: deinde festa tria majora; nempe Paschatis ob exitum ex Aegypto Ex. XII, 42 seq; Pentecostes ob legislationem Sinaiticam, simulque ad gratias pro messe agendas Ex. XXIII, 16. et Tabernaculorum ob beneficia in deserto. Quae quidem festa, gravibus finibus destinata, et magnis factis innixa, optime servierunt, ut memoria historiae patriae conservaretur, hilaris unio populi, ab idololatris separati, excitaretur, et fervor pro lege patria communis foveretur. Tribus festis majoribus festum Expiationis Moses Lev. XVI. adjunxit, ritu singulari celebrandum, quo poenitentia simul et spes fovebatur.

3) Modum cultus exercendi quod spectat, Moses primo circumcisionem, ex aetate patriarchali jam acceptam, praescripsit, urgens simul circumcisionem cordis Deutr. X, 15 seq. tum liturgiam sacrificiorum latreuticorum, eucharisticorum, propitiatoriorum et impetratoriorum constituit, in quibus nulla superstitio, nulla obscoenitas, nulla crudelitas, sicut in sacrificiis aliarum nationum, invenitur; sed omnia ad promovendam moralitatem et religionem disposita sunt: demum apparatum aliorum rituum addidit tum in victu et vestitu, tum in usu purificationum, quibus Moses non solum sanitati et bono civitatis, sed religiosae etiam moralitati sapienter consuluit; uti jam pridem viri eruditi ostenderunt, etsi singulorum rituum finem aptum determinare haud semper valeamus ob distantiam temporis, et ob diversitatem loci ac personarum. Notandum insuper est, plures rituum istorum esse ty-

picos, seu figuram continere eorum, quae in novo testamento Deo ordinante fieri debebant.

4) Denique ut cultus publicus cum honestate et majestate perageretur, simulque observatio legis promoveretur, Moses hierarchiam quasi stabilem in tribu Levi instituit. Determinavit enim ordinem Levitarum, sacerdotum, et summi pontificis in familia Aaronis, tum consecrationem, officia et reditus eorum ex decimis, et ex certa sacrificiorum parte, ut nihil fere arbitrio, avaritiae et ambitioni relinqueret. Sacros hos ministros, ut eo utilius ubique suo fungi possent officio, omnesque ubique Israelitas legem divinam docerent, inter reliquas tribus distribuit.

* Ingenuus quisque et cordatus rerum aestimator calumnias Voltairü aliorumque facile poterit refellere, siquidem conditionem temporis et loci, indolem nationis Israeliticae et periculum perversionis ex parte gentilium nationum attente perpenderit. cf. Stollberg: Betracht. und Beherz. der hl. Schrift.

§. 97.

Tertia constitutionis pars est politica, quae ob arctissimum religionis ac politiae mosaicae nexum a theologo praeteriri non potest.

a) Moses Israelitis, ut suam religionem exercere possent, civilem etiam constitutionem dare debuit, et actu quoque dedit ita, ut Israelitas, ex servitute Aegyptia caliberatos, in unam conjungeret nationem, et quoad fieri potuit, a reliquis nationibus separaret.

b) Per leges ipsas, quas hunc in finem dedit, 1) securitati et tranquillitati publicae optime consuluit: ad utramque enim procurandam diriguntur leges de bello gerendo, de justitia administranda contra fures, raptores, homicidas etc. 2) Ad felicitatem, quae altera reipublicae bene constitutae nota est, promovendam leges agrariae, leges de plantatione arborum, de cura pecoris etc. conducebant: sanitati Israelitarum per purificationes, et per discrimen ciborum; hilaritati per festa nationalia; et inopiae tum praepediendae, tum sublevandae per leges de pauperibus etc. Moses prospexit. — 3) Ipsi etiam progressui providit tum per leges, quas parentibus et potissimum tribui Levi dedit, tum per lectionem et meditationem legis divinae, quam commendavit quam maxime.

c) Necessariam etiam et efficacem auctoritatem legibus hisce conciliavit, quum eas, sicuti priores duas constitutionis partes, a Deo derivaret.

* Partem constitutionis civilem, quam Voltaire proterve pro more suo criminatur, Grotius, Puffendorf et Montesquieu insigniter laudant atque commendant.

§. 98.

Corollaria. I. Forma constitutionis mosaicae theocratica est: nam 1) Deus ipse est rex populi Ex. XIX, 5 — 9. Deinde 2) singulae constitutionis partes a Deo derivantur, et divina sanciuntur auctoritate. 3) Demum summus pontifex Deum quasi repraesentat.

II. Primarius constitutionis mosaicae finis est monotheismus practicus: id

est, ut Israelitae firmam unius veri Dei, creatoris et rectoris, fidem teneant, unum verum Deum colant, et ad ipsius voluntatem omnem vitae suae rationem componant: hunc enim finem Moses 1) in ipso decalogi exordio assignat; 2) data quavis occasione repetit et inculcat; et 3) in ultima sua oratione animis Israelitarum pie et fortiter admovere conatur.

III. Pars liturgica et politica non est praecipua constitutionis pars; sed medium tantum ad monotheismum practicum excitandum, fovendum et sustentandum. cf. egregiam III. Com: de Stollberg p. m. dissertationem: Geschichte der Rel. II. Th. et Betracht. und Beherz. der hl. Schrift.

Articulus II.

Divina constitutionis mosaicae origo.

§. 99.

Haec jam constitutio internis verae revelationis characteribus gaudet, seu talis est, quae a Deo revelari, sive potius divina auctoritate promulgari potuerit.

a) In ea enim nihil Deo indignum, vel naturae humanae repugnans invenitur; sed potius omnia ad unius veri Dei agnitionem et cultum pro capacitate et indigentia nationis aptissime conducunt. Illud inprimis notari debet, quod Moses ulteriorem legis explicationem a Prophetis dandam esse promittat, eamque a populo acceptandam esse praecipiat.

b) Si partes singulas considerare placet, 1) pars religiosa, quae prima est ac praecipua,

fidem unius Dei sine superstitione, et sine symbolo etiam Dei — cultumque unius Dei urget eo tempore, ubi omnes alii populi polytheismo crasso et idololatriae erant immersi: 2) pars liturgica non solum excusari potest ob genium nationis, temporis et regionis, et propter ingens perversionis periculum; sed defendi etiam potest ob fines bonos et magnos; cf. §. 96. 3) pars demum civilis tum saluti publicae, tum etiam religioni servandae, et exercendae feliciter deservit.

§. 100.

Verum quum characteres interni rem adeo insolitam non evincant, ad characteres externos progredi oportet, et ab ipsius Mosis testimonio, quod quidem omnem meretur fidem, ordiri juvat.

a) Moses, qui solus optime scivit, utrum suo ex consilio, aut ex jussione Dei rem suam ageret, tum coram rege, tum coram populo suo constanter — ab initio ad mortem usque — profitetur, se ab ipso Deo esse vocatum, ut promissionem, patribus a Deo factam, ipsius Dei ope exequatur.

b) Quod quidem Mosis testimonium omni fide dignum est propter ipsius Mosis characterem, a tali fraude alienum; — propter opus ab ipso non solum coeptum, sed etiam actu perfectum; — et propter adjuncta et effectus operis ab ipso patrati. Nulla enim ratione intelligi potest, quomodo Moses sine jussione Dei tale opus liberatoris, legislatoris, et ducis in se suscipere ausus fuerit: multo minus in-

telligi potest, quomodo Moses sine singulari Dei interventu Pharaonem ad dimittendum populum, Israelitas autem ad acceptandam talem legem eamque retinendam etc. permovere potuerit.

* Sicut Moses in negotio isto gravissimo decipere nec voluit, nec potuit; ita etiam ipse non fuit deceptus vel illusus; sed de divina vocatione sua certior fuit factus tum per theophaniam, quae Ex. III. et IV. narratur; tum per singularem Dei assistentiam, cujus argumenta luculentissima ab exordio operis divinitus demandati usque ad mortem suam expertus fuit. In specie theophania ista omni ex parte conveniens esse intelligitur; a Mose ceu vera fuit pronuntiata, et ab omni populo Israel ceu vera semper agnita; ab Ecclesiastico XLV. supponitur et a S. Stephano Act. VII; 30. publice ceu vera assignatur; denique veritas ejusdem ex reliquis Mosis factis per 40 annos continuam percepit confirmationem. Unde operae pretium non est, ut in recensendis conjecturis, homine christiano indignis, quas Bauer, Bahrdt, Fragmentista aliique more dictatorio proferunt, tempus teratur pretiosum.

§. 101.

Insuper Moses veritatem testimonii sui plurimis et evidentibus probavit miraculis; quae in tres classes dividi possunt, et eo, qui modernis revelationis divinae adversariis satisfaciat, modo recenseri debent.

a) Miracula Mosis triplicis generis distinguuntur, ut sese ceu liberatorem ex Aegypto, ceu legislatorem, ac demum ceu ducem, divina auctoritate insignitum, ostenderet.

1) Dimissionem nempe populi Moses a Pharaone extorsit quasi per decem plagas Ex. VII — XII. dimissumque populum ex praesentissimo ad mare rubrum periculo Ex. XIV. XV. mirabiliter liberavit; ac eleganti cantico beneficium adeo insigne celebravit.

* Similem eventuum talium seriem. sive ii intra annum, sive intra sex hebdomadas contigerint, historia alibi non memorat. Ubi insuper advertendum est, Mosen singulas plagas, quae more eclipsium computari haud poterant, ad horam praedixisse; easdem ad nutum quasi Mosis coepisse, iterumque desiisse; et Israelitas, Aegyptiis licet immixtos, ab istis plagis immunes mansisse, ut proin facta ista — respectu temporis signa praedictionis, et respectu spatii signa exceptionis dici queant.

2) Ad montem Sinai lex modo terribili Ex. XIX — XXIV. divinitus promulgata, foedusque divinum cum populo sancitum, et oblato sacrificio firmatum est. Omnis hujus facti memoriam Moses saepius, et moriens etiam populo commendavit. 3) In deserto, ubi populus, ut aptior ad legem generatio exurgeret, diutius commorabatur, Moses, qua dux, omnibus populi indigentiis providere debuit. Quem in finem miracula fiebant — alia continua, nempe columna, quae Ex. XIII, 21. per diem figuram nubis, per noctem autem figuram lucis exhibens, symbolum praesentis Dei, et dux itineris fuit; tum Manna singulis diebus, excepto sabbatho, colligendum etc. Ex. XVI. cujus rei memoriam reposita in vas parte conservari voluit: alia temporaria, ex quibus duo memorasse sufficit, nempe aquam Ex. XVII, 6. quam Moses praesentibus senioribus admodum copiosam ex percussa petra elicuit; et ruinam Core, Dathan et Abiron Num. XVI. quos ob seditionem terra deglutiit etc.

b) Horum jam miraculorum 1) veritatem tam historicam, quam philosophicam, et 2) vim probandi ostendere necesse est, quia moderni adversarii nostri utramque inficiantur.

§. 102.

Miraculorum §. praec. memoratorum veritas aeque ac vis probandi ita ostendi potest, ut ingenuo cuivis et cordato veritatis indagatori fiat satis.

a) Veritas quidem 1) historica manifesta est ex testibus domesticis — partim immediatis, ipso nempe Mose, populo eidem coaevo, et Josue, qui moriens nationi signa ista in memoriam revocat; partim mediatis, scriptoribus videlicet sequentibus, Psalmista, Sapiente, Ecclesiastico, Paulo et Stephano, qui signa Mosis vel referunt, vel supponunt; et ipsa etiam natione, quae post mortem Mosis memoriam istorum miraculorum festis perennibus celebravit: — et ex testibus extraneis, tum Aegyptiis, qui ob signa Mosis abitum Hebraeorum concesserunt, et ad mare rubrum potentem manum Dei experti sunt, tum scriptoribus gentilibus, qui Mosen magiae accusant. 2) Philosophica etiam veritas indubitata est. Inprimis si occasio et finis spectentur, signa illa vel necessaria, vel utilia, adeoque Deo etiam digna fuerunt. — Si modus attendatur, patratio eorum publica — coram una vel duabus nationibus; — deinde varia pro diversa temporis vel loci exigentia; — patratio aliquorum per annos quadraginta perdurans, facile avertit suspicionem tum illusionis, quae tanto tempore circa

integram nationem ne probabilis quidem est, tum artificii mere naturalis, quale a nullo alio homine patratum unquam fuit, tum praestigiarum diabolicarum, quibus cultus veri Dei non promovetur. Denique si natura horum eventuum, adeo frequentium ac diuturnorum consideretur, patet plane, totam pene naturam voluntati unius viri, qui eventus illos insolitos fere semper praedixit, veluti paruisse. Unde concludi potest, opus Mosis singulari Dei concursu adjutum fuisse atque perfectum.

b) Vis probandi, quae ex nexu horum signorum cum auctoritate Mosis et constitutionis ab ipso promulgatae exurgit, facile intelligitur, si finem et effectum illorum consideremus. 1) Nam ope signorum istorum in Aegypto et ad mare rubrum Israelitae ab exilio fuerunt liberati; ad montem Sinai substantia legis fuit introducta; — in deserto partim necessitatibus populi fuit provisum, partim lex Sinaitica est confirmata. Unde apud Israelitas, et Aegyptios aliosque populos innotuit, Jehovam — per supremam potestatem suam — eventum promissionis suae, Abrahamo factae, auspicari et prosequi; nationi Israeliticae convenientem pro Palaestina legem praescribere; et populum vel paterna providentia regere, vel severitate judicis castigare, atque ita legem ratam habere. — 2) Cum autem Moses horum signorum fuerit minister, ejus etiam auctoritas, ceu liberatoris, legislatoris et ducis, ac proin auctoritas quoque constitutionis ab ipso promulgatae confirmata fuit; id quod Num. XVI, 28 sqq. in facto circa Core, Dathan, et Abiron apparuit.

* Innumerae, quae hodie contra signa Mosis fiunt objectiones, vel meris conjecturis constant, vel omnino textum sacrum proterve torquent, mutant, pervertunt.

§. 103.

Non solum prodigiis, sed et prophetiis Moses veritatem sui testimonii probavit.

Tota equidem vita publica Mosis prophetica fuit; singulis enim signis et factis suis praedictionem praemisit, ut attentionem populi ad ea rite observanda excitaret. Tres tamen potissimum prophetias speciatim exponere juvat.

a) Prima est de omnibus, qui jam annos viginti implessent, in deserto morituris, Josue et et Caleb exceptis. Num. XIV, 29. 1) Veritas prophetiae historica ex consensu nationis, et philosophica ex natura eventus praedicti patet; nemo enim, nisi solus mortis vitaeque dominus scire potest, duos praecise ex integra natione, reliquis omnibus mortuis, ad sexagesimum vitae annum venturos esse. 2) Eventus ejus expressis verbis Num. XXVI, 63 — 65. in secunda populi lustratione in campestribus Moab facta refertur. 3) Relatio ejusdem ad auctoritatem Mosis et legis ab eo latae inde patet, quod praematura reliquorum mors fuerit poena murmuris contra Deum et Mosen.

b) Altera est de futuris nationis suae fatis Deutr. XXIX — XXXII. ubi Moses populo legem observanti fertilitatem, pacem et victoriam promittit; praevaricanti autem mala opposita comminatur et ho-

stem denuntiat e longinquo venientem, qui urbem devastet. 1) Veritas prophetiae ex serio et festivo sermone, quo coelum et terram testes invocat, tum ex argumento, quod eventus a solo Deo pendentes complectitur, et denique ex consensu nationis intelligitur. 2) Eventum ejus omnis historia Israelitarum confirmat; et 3) nexum cum religione res ipsa ostendit. Ecce! legislatorem Mosen, qui non homines, sed naturam, imo ipsum naturae dominum legis suae executorem constituit.

c) Tertia Exod. XXIII, 10. Levit. XXV, 5. promittit anno sexto tantam benedictionem, quae tribus annis sufficiat; qua promissione munitur lex, ne anno septimo agros vel vineas in Palaestina colant. 1) Veritas prophetiae historica per se; philosophica autem ex eo patet, quod triplex quovis anno sexto messis utique ab auctore naturae pendeat. 2) Eventus inde intelligitur, quod Judaei illam legem de anno sabbathico I. Mach. VI, 49 observarint, pigritiae idcirco a Tacito accusati. Quis enim credat, nationem periculo famis periodicae sese exposuisse, nisi eventum, a Mose praedictum viderit? 3) Redieus porro anno sexto eventus auctoritatem Mosis in perpetua veneratione conservavit apud eos etiam, qui Mosen ipsum haud viderant.

* Prophetiae Mosis oracula gentilium longe superant — tum in argumento, tum in tenore sermonis, dein in fine et eventu, ac in ipso charactere Mosis et prophetarum spuriorum.

§. 104.

Itaque constitutio Mosaica pollet auctoritate divina: habet enim

a) cha-

a) characteres internos tum negativos tum positivos: — Ihre temporäre und nationale Güte wird durch jede Vergleichung in helleres Licht gesetzt. Ueber das Universum. S. 38.

b) ac etiam externos: utpote profecta a viro magni ingenii et boni characteris, qui eam divina auctoritate proponit, suumque testimonium signis et prophetiis confirmat.

§. 105.

Divinam Mosaicae constitutionis auctoritatem historia ejusdem, per annos fere 1500 durantis, confirmat, in qua occurrunt indicia divinae providentiae, opus suum persequentis.

a) Historia ista in tres dividi epochas potest, quarum prima — heroica vel bellica a Josue usque ad Samuelem per annos fere 450 — altera regia et prophetica — a Samuele usque ad Zorobabel — per annos plus quam quingentos — et tertia — chaldaice — graeca — inde usque ad Christum durat per annos fere 500.

b) De quavis epocha reflexiones tantum aliquas circa statum Mosaismi subnectere juvat.

c) In factis istarum epocharum rite aestimandis non modo antiqui temporis et morum orientis, sed maxime formae theocraticae ratio est habenda, qua et monotheismus conservari, et introductio universalis religionis praeparari debuit.

§. 106.

In prima epocha — a) licet commendata a Mose lectio et meditatio legis progressui faveret,

spiritus tamen bellicus obstabat, quo minus religio magis excoleretur, ut potius exemplo vicinorum populorum non nunquam foedaretur.

b) Status nationis juxta praedictionem Mosis laetus fuit, dum ea Jehovam coluit; tristis vero, dum diis alienis serviit.

c) Etsi nullus inter Hebraeos extiterit, Mosi et Josuae similis, fuere tamen inter judices viri, qui spiritu theocratico instructi de religione et de civitate praeclarius meriti sunt.

§. 107.

In secunda epocha, in qua praecipue Samuel, dein Saul, David et Salomo, ac reges in regno Israel et Juda, et demum prophetae memorabiles sunt,

a) in primis cultura per institutionem scholae propheticae feliciter fuit inchoata, quam dein David suo exemplo et favore erga sacros cantores, et Salomo collecto quasi virorum sapientum collegio promoverunt.

* In schola ista Samuele praeside laetiora ingenia ad poesin, et musicam pro cultu divino, et ad notitiam etiam civilem pro bono civitatis juxta legem Mosaicam formabantur.

b) Fata nationis durante hac epocha primum laetiora sub uno rege, et postea tristiora sub duobus regibus, quia relationi ad legem respondent, eventum praedictionis a Mose factae, ac saepius etiam a prophetis promulgatae, simulque vigilem pro suo opere providentiam exhibent.

* Dispersio nationis inter Assyrios et Babylonios effecit, ut lux melior religionis et legis divinae ad alias etiam nationes penetraret.

c) Occurrit demum series virorum pietate, factis et signis illustrium, uti sunt — Samuel, — David et Salomo — et prophetae. cf. Brenner: Verfuch einer philoſoph. und hist. Darstellung der Offenbarung 1 Th. S. 97.

§. 108.

In tertia epocha, cujus historia ex libris Esdrae, Machabaeorum, ultimorum prophetarum, nec non Josephi et Philoni peti debet,

a) cultura aliam longe formam induit, primum ex chaldaica, dein etiam ex graeca sapientia, ita tamen, ut — Hebraei substantiam Mosaicae constitutionis semper retinerent.

b) Plures occurrunt viri celebres, nempe 1) duces — Zorobabel, Esdras, et Nehemias 2) ultimi tres prophetae, — Zacharias, Aggaeus, Malachias: 3) Machabaei, et auctores librorum deuterocanonicorum.

c) In fatis nationis singularis providentia cernitur, tum ubi nova colonia introducitur, tum ubi restauratio fit per Machabaeos. Ad pristinum tamen statum civilem ac religiosum natio post exilium haud amplius pervenit.

* Die Nation ward am Ende unglücklich — politisch sowohl — durch innere Unruhen und durch Hass gegen Auswärtige — als auch religiös — nicht mehr durch Götzendienst, sondern durch Sekten. Es näherte sich nämlich die Konstitution ihrer Vollendung — ihrem Uebergange in die vollkommnere göttliche Anstalt.

§. 109.

Corollaria. I. Constitutio Mosaica non solum in origine, sed etiam in perduratione plura habet divinae auctoritatis indicia a) tum in progressu culturae, quamdiu ea typo Mosis conformis fuit; b) tum in fatis nationis, quae quidem relationi ejus ad legem fere respondebant; c) tum in serie virorum, theocratiae statorum illustrium.

II. Memorabile admodum est, quod omnia nationis fata, antequam evenirent, a prophetis fuerint praedicta, ut in iis Deum, non casum natio agnosceret. a) In promissione, quae Abrahamo Gen: XV. fit, jam tota nationis historia continetur: b) Moses Deutr: XXVIII. et sqq. chartam veluti magnam fatorum nationis dedit: c) Fatum nationis Israel Micheas, et Amos; regni vero Juda Isaias et Jeremias praenuntiant.

III. Natio judaica non contemtum, sed venerationem meretur, a) sive patriarchas, legislatorem, et seriem virorum illustrium b) sive constitutionis summam, introductionem et perdurationem, c) sive bibliothecam Judaeorum sacram spectemus.

§. 110.

Mosaismus, utut divina auctoritate insignis, tamen imperfectus fuit et perfectiorem religionem promisit.

a) Imperfectus fuit — 1) argumento, utpote continens prima tantum et parca symboli et decalogi elementa; — tum ritibus multis iisque molestis occupatus, ac denique sanctione civili et terres-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tri fuit munitus: 2) deinde etiam ambitu, eoquod uni tantum populo durae cervicis datus, uni regioni aptus, et templo ac sacerdotio affixus esset. cf. Col. II, 20. Gal. III, 21 — 24. Eph. II, 14.

b) Perfectiorem religionem promisit. Moses ipse Deutr. XVIII, 18. prophetam sibi similem promittens hanc conversionem insinuat. 2) Isaias autem LXVI. dum tempus sine templo Jerosolymitano 1. 2. — sine sacrificiis et festis Mosaicis 23. et assumtos etiam ad populum Dei gentiles videt: — et Jeremias XXXI, 31. sqq. dum foedus novum, et legem in corde scriptam annuntiat, clarius eandem exponit. 3) Denique extructo secundo templo Deus per Malachiam I, 11. abrogationem omnium veterum sacrificiorum, et oblationem unius hostiae mundae in omni — etiam inter gentes — loco praedicit.

Sectio III.

Revelatio divina in periodo christiana.

§. 111.

Perfectiorem illam religionem a Christo fuisse allatam, magno consensu per octodecim secula major hominum pars credit. Cujus quidem fidei fundamentum tum ob ipsum rei momentum, tum ob genium temporis accurate est examinandum. Quem in finem

1) summam religionis a Christo traditae determinare; ac

2) divinam ejusdem auctoritatem vindicare oportet.

* Historia Jesu Christi, quam omnibus compendii hujus lectoribus ex Evangelio notam esse jure suppono, in theologia speciali P. II. adumbratur, a P. Mar. Dobmayer p. m. tom. III. fusius describitur, et a nemine, qui vere christianus esse voluerit, vel ignorari, vel negligi potest. Profecto quisquis ad altiorem pietatis ac sanctitatis gradum in ecclesia Christi pervenit, ex pia potissimum historiae illius meditatione fervidaque imitatione ad culmen illud pervenit: praeterea quaecumque fuerit rerum humanarum facies, historia Jesu Christi, animo pio considerata, abunde suppeditabit, unde instructionem salutarem, solatium solidum, animi confortationem, veramque tranquillitatem, spem vivam ac laetam etc. percipere licebit. cf. Lud. Granatensis et Avancini meditationes de vita Jesu Christi: Stolberg l. c. tom. V. et „Ein Büchlein von der Liebe: Ildeph. Schwarz: Handbuch der christ. Rel. tom. II. Unde commiseratione digni sunt temporis nostri scriptores illi, qui facta et fata Jesu Christi ad doctrinam Christi pertinere negant.

Articulus I.

Religio a Christo tradita.

§. 112.

Antequam ipsas doctrinas religionis christianae pro instituti praesentis ratione assignem, primas lineas de charactere Jesu Christi ducere juvat.

a) Jesus Christus, qui in hunc mundum venit ad homines ab omni vi peccatorum liberandos, ipsemet ab omni, vel minima peccati labe immunis et integer fuit: 1) historia enim evangelica testatur, Jesum Christum,

tentatum licet Mt. IV. — ut per omnia similis nobis fieret absque peccato; — gravibus vitae pauperis aerumnis, difficultatibus et laboribus operis sui, impiis inimicorum calumniis et persecutionibus obnoxium, et ipsorum amicorum suorum praejudiciis et defectibus expositum — ob omni tamen impatientiae et alterius cujusvis vitii labe purum semper permansisse. 2) Unde ipse inimicos suos provocare potuit: „Quis ex vobis arguet me de peccato?“ — Pilatus et Herodes culpam non inveniunt in eo: — inimici ipsi, etsi studiose dicta et facta ejus observarent, rigideque examinarent, quid jure in eo reprehendant, non invenerunt: — Judas denique, comes Christi individuus, innocentiam ejus, stimulis conscientiae exagitatus, profitetur: „Peccavi, tradens sanguinem justum.“

b) Ut porro inveniamus, quod imitemur, Jesus perfectum etiam sanctitatis exemplar nobis exhibuit: et quidem 1) respectu Patris — summum amorem et filialem obedientiam a primo momento usque ad extremum in cruce halitum. — Ingrediens in hunc mundum Hebr. X, 5. dixit: „Ecce venio! . . . in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.“ „Humiliavit semetipsum, Phil. II, 8. factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.“ — Duodennis in templo respondit: Luc. II. 29. „Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? — Per omnem vitae suae publicae cursum nihil prius habuit, quam ut faceret voluntatem Patris. „Meus cibus est, Jo. IV, 34. ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.“

Et primam quidem operis sui partem docendo, et bene faciendo etc. adimplevit: „Ego te clarificavi Jo. XVII, 4 sq. super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi.“ Alteram etiam partem implevit morte sua, quam obediens Patri voluntarie suscepit, dicens in horto: „Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Luc. XXII, 42. Unde in cruce pendens: „Consummatum est;“ ait: „Pater! in manus tuas commendo spiritum meum.“ 2) Erga genus humanum summam exhibuit charitatem. — Ex immensa charitate in hunc mundum venit, ut homines doceret, emendaret, et salvaret. „Venit filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.“ Luc. XIX, 10. „Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.“ Jo. X, 10. — Quam quidem charitatem per omnem vitam suam publicam exercuit benignissime: „pertransiit enim benefaciendo et sanando omnes etc. “Act. X, 38. — Ex charitate denique ipsam vitam pro salute mundi posuit, orans in cruce pro inimicis suis: „Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.“ Jo. XV, 13. „Animam meam pono pro ovibus meis.“ Jo. X, 15. — 3) Respectu sui ipsius demum constantiam et virtutem heroicam in vitanda cujuscumque vitii labe, in superandis difficultatibus, in exantlandis operis sui laboribus, in tolerandis quibuscumque aerumnis etc. per omnem vitae suae rationem, et in morte potissimum atrocissima et ignominiosa, libere suscepta, praeclare ostendit. cf. Dobmayer tom. III. p. 384 — 387. et Sibylle der Religion: p. 209 sqq. Regensburg II. Aufl.

§. 113.

Jesus Christus, qui missus a Patre, venit in mundum, ut genus humanum, peccato perditum, restauraret, seu ut regnum morale ex toto genere humano colligeret, eum in finem mortem subiit pro salute hominum, religionem tradidit mundo, et ecclesiam instituit universalem.

Hunc adventus sui fuisse finem, sive hoc fuisse opus a Patre sibi datum, Christus ipse frequenter et clare edixit; Luc. XIX, 10. et quidem 1) de morte sua, quam pro salute hominum juxta voluntatem Patris ex nimia sua erga homines perditos dilectione subire voluit, Jo. III, 16. X, 15. XII, 24. 25 et alibi; 2) de religione, a se tradenda, Luc. IV, 18. Jo. XIV, 6. XVII, 6. et alibi: 3) de ecclesia, a se aedificanda, Mt. XVI, 18 et alibi aperte locutus est.

* De morte Christi pro salute hominum, qua in re Christus in omni historia neminem prorsus sui similem habet, in theol. spec. P. II. et de ecclesia Christi infra P. III. ex instituto sermo erit. Unde hic et nunc de religione tantum Christi, tum theoretica, tum practica, dicendum est; et quidem ita, ut non jam singula religionis christianae capita in specie adducantur; sed ut summa tantum, sive conspectus ejusdem generatim exhibeatur. cf. Overberg vel Schwarz Handbuch der christl. Rel.

** Inde ab anno 1772. in Germania a Fragmentista, ab auctore libri, cui titulus est „Horus“ et a Bahrdtio blasphemae de fine et consilio Christi vel civili, vel fanatico calumniae in vulgus spargi coeperunt, quae magnos excitarunt motus. Verum inter ipsos Protestantes duo inprimis viri, Doederlein et Unger,

inter Catholicos Sandbichler, Beda Mayer aliique blasphemias istas refutarunt; et hodie commenta ista jamjam delet dies, veritas autem de opere genuino, quod Pater Christo demandavit, inconcussa stetit, et persistit persistetque, usque dum venturus est ipse Christus in gloria sua, judicaturus fideles ac infideles.

§. 114.

Religionis christianae doctrina theoretica plenam continet de regno Dei (de regno veritatis, sanctitatis et beatitatis) doctrinam, et regni hujus primo originem sive institutionem divinam; tum restaurationem regni illius, peccato perditi; dein restaurati istius regni gubernationem in praesenti vita; ac demum ejusdem consummationem in futura vita exponit.

a) Primam partem, id est, originem sive institutionem regni divini quod attinet, Christus 1) Deum, quem Patriarchae ceu Omnipotentem et Adorandum, Israelitae ceu Immutabilem et Fidelem jam noverant et colebant, nobis exhibet sub nomine et notione Patris, quae quidem notio omnibus et singulis facilis est, et efficax ad pietatem excitandam; — Deum docet esse Spiritum, qui in spiritu et veritate adorari debeat, et ubivis locorum omnique temporis momento adorari possit; — in uno Deo tres distinguit, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, quo quidem ex mysterio summae Dei perfectiones clarius patescunt, simulque suprema Patris, Filii et Spiritus Sancti beneficia fortius animo nostro admoventur; — memorabilis praesertim est duplex Jesu Christi explicatio; una de notione Patris,

quae paternam Dei providentiam pro omnibus indigentiis et fatis nostris sub aspectum quasi nobis adducit: „Ne soliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini . . . Respicite volatilia coeli . . . considerate lilia agri . . . Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.“ Mt. VI, 25 — 34. „Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis . . . . sed in abscondito; et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.“ Mt. VI, 1. sqq. „Vestri capilli capitis omnes numerati sunt,“ Mt. X, 30. altera de paterna benignitate, qua Deus peccatorem contritum, et revertentem ad semitam sanctitatis clementissime suscipit Luc. XV.

* Ut praestantia doctrinae christianae manifestius appareat, ad incertitudinem, ad errores, et ad abusus multiplices, qui circa divinam providentiam et circa officia peccatoris pro venia impetranda apud gentiles, et apud ipsos Judaeos locum habebant, respicere placeat.

2) De homine quae proponit religio christiana, singularia sunt: una enim ex parte plenam naturae humanae corruptionem docet, ita, ut natura simus filii irae et regeneratione indigeamus; altera ex parte summam hominis dignitatem praedicat, et destinationem sublimem ei promulgat: per Christum vere filii Dei reddimur; fratres sumus Jesu Christi, redemti sanguine agni immaculati, haeredes Patris coelestis et cohaeredes Christi; perfecti esse jubemur, sicut perfectus est pater noster coelestis etc.

b) Pars altera, quae de restauratione regni divini agit, 1) miseriam generis humani, 2) con-

silium Patris de reparanda per Unigenitum filium suum salute, 3) ipsumque opus Christi describit, qui docendo et agendo contra vim peccati nos munivit, patiendo et moriendo veniam peccatorum paravit et spem vitae aeternae contulit.

c) Pars tertia restaurati per Christum regni divini gubernationem in praesenti vita nobis exhibet, 1) leges nempe, quibus Christus ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo, semper praeest, 2) concursum gratiae divinae, per quam nobis semper adest, et 3) sacramenta, per quae omnibus indigentiis nostris spiritualibus sapientissime et benignissime providet.

d) Pars demum quarta — de consummatione regni divini in altera vita — 1) promittit vitam aeternam, et quidem non tantum ceu praemium, virtuti tribuendum Mt. XXV, 34 sqq. quod pro tenuitate et imperfectione virtutis nostrae tenue etiam et imperfectum esset futurum; sed ceu donum infinitae bonitatis, ceu haereditatem patris coelestis, et cohaereditatem cum ipso Jesu Christo: Jo. XVII, 24. 2) ipsam insuper resurrectionem, seu totius hominis restitutionem in die judicii docet, et factis etiam comprobat, resuscitatione nempe Lazari et aliorum, et propria resurrectione. cf. Jo. V, 28. Mt. X, 28 et XXV, 31 sqq.

* Ex brevi hoc conspectu intelligitur, theoreticam christianae religionis doctrinam duplici constare parte, alia rationali, uti hodie dicere amant, positiva alia; quae utraque pulchro cohaeret nexu, mutuo sese illustrat, complet et perficit.

§. 115.

Cum religione theoretica Christus practicam, salutari restaurandi generis humani consilio accommodatam, sapienter conjunxit; quae quidem ad officia, motiva et media reducitur.

a) Officia quod attinet, quum homines a natura sint peccato obnoxii, 1) ante omnia Christus veram animi emendationem et poenitentiam exigit. Ipse enim praedicationem suam ita exorditur: „Poenitentiam agite:“ idemque mandatum primo promulgare loco apostolos suos jubet Luc. XXIV, 47. — Quae quidem emendatio in ipso animo praeprimis fieri debet: „De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia . . . , et „haec sunt, quae coinquinant hominem.“ Mt. XV, 19. Unde et ipsa animi desideria prava reprobat Mt. V, 28. et hypocritas potissimum severe reprehendit Mt. XXIII. et vult, ut christiani Deum in spiritu et veritate adorent, Jo. IV, 24. et perfectiori studeant justitiae, quam pharisaicae Mt. V, 20. 2) Officia dein ipsa Christus quidem non recenset singula; sed principium quasi suggerit, ex quo officia sua quivis facile intelligit, — dilectionem nempe Dei super omnia, et ex toto animo Mt. XXII, 35 sqq.; et amorem erga proximum, sicut erga nos ipsos. Et amorem quidem Dei Christus talem exigit, qui nos moveat, ut mandata Dei observemus Jo. XIV, 15. 21. Deum imitari Mt. V, 45 — 48, ac magis magisque in bono proficere studeamus. Amorem erga proximum Christus in sermone, quem in monte habuit, magis determinavit, eumque

ad exemplum Patris coelestis Mt. V, 45 et Christi Jo. XV, 12 sqq. erga omnes homines, in specie erga pauperes Mt. XXV, 34 — 45 erga inferiores Mt. XVIII. et erga ipsos etiam inimicos Mt. V, 44. non solum in animo et verbo, sed opere etiam esse exercendum docuit. cf. Schwarz. l. c. I. B. S. 85. II. B. S. 220.

b) Ut jam ad duplex istud officium, poenitentiae nempe et amoris, ritc implendum omnes et singuli moveri possint, ea Christus suggessit motiva, quae omnibus ubique hominibus apta essent et satis efficacia. 1) Inprimis quidquid sana ratio, et sensus moralis ad homines movendos enuntiat, Christus supponit et confirmat, provocans ad sanam rationem: „Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.“ 2) Deinde quum varia sit hominum singulorum conditio, indoles animi et dispositio varia, diversa etiam indicavit motiva positiva et quidem homines impios metu poenarum quasi concutit et excitat, terret, et a peccando absterret, iisque filialem timorem instillat; eos, qui bonam jamjam concipiunt voluntatem, in pugna tamen adversus illecebras vitiorum, et adversus horrorem difficultatum virtuti exercendae adhaerentium debiles adhuc periclitantur, spe praemii et haereditatis aeternae allicit, solatur, adjuvat, ut alacri animo peccatorum illicia superare, et virtutis studium constanter prosequi valeant; bonos, et pios sanctitate et bonitate voluntatis divinae ad virtutis studium et ad continuum progressum provocat. Singulare autem virtutis christianae motivum in missione Jesu Christi ad salvandos homines, et in passione ac morte Christi, ad parandam nobis veniam, et spem salu-

tis tolerata, continetur. Utraque enim tum irrefragabilem Dei justitiam et sanctitatem, tum pium Patris ac Filii amorem nobis exhibet, sicque horrorem peccati nobis ingerit, et ad redamandum efficaciter nos movet.

c) Demum ne impossibilitatem operis, et impotentiam virium obtendamus, Jesus mediis, quae ratio jamjam offert, alia positiva adjunxit, quae sunt 1) inprimis exemplum Christi, qui uti suaviter ad imitationem provocat, ita etiam fructum imitationis nobis ostendit; deinde 2) promissio de danda gratia Jo. XIV. 13 sqq.; cum Spiritus Sanctus, ibidem promissus, sit pietatis praeses, et virtute sua in animis nostris operetur; demum 3) institutio ecclesiae, quae praeter alia virtutis adjumenta duas praesertim ceremonias, simplices sua in natura, sublimes in sensu, et efficaces ad pietatem continet, baptismum nempe, quo homo ex statu antichristiano ad societatem Christi inauguratur, et renascitur; et sacram coenam, in qua mors Christi grato animo recolitur, fraterna christianorum unio excitatur et fovetur, et spiritualis animae refectio datur.

* Doctrina Christi theoretica et practica intimo cohaeret nexu, et unam quasi efficit doctrinam per duplex praesertim amoris praeceptum. Qui enim ex theoretica Christi doctrina summam Dei amabilitatem cognoverit, non poterit non excitari ad Deum ex toto corde diligendum: et qui ad theoreticam Christi de homine doctrinam respexerit, ad proximum (filium Dei, fratrem Christi, pretioso sanguine Christi redemtum, ad eandem coelestem haereditatem destinatum etc.) — sincere diligendum movebitur.

** Circa religionem externam, utpote pro omnibus omnium temporum ac locorum hominibus destinatam, Christus ceremonias numero paucas, omnibus accommodatas, et spiritu aeque ac virtute plenas praescripsit, uti in theol. spec. P. III. declaratur. In specie pro magno sacrificiorum leviticorum apparatu unum duntaxat sacrificium, quod omnibus sacrificiorum finibus respondet et satisfacit, in ecclesia sua instituit. cf. Die heilige Messe in ihren Ceremonien. Regensburg. 1823.

§. 116.

Praeter doctrinam religionis christianae methodum etiam, qua Christus in doctrina sua proponenda usus est, considerare oportet; quae quidem methodus dignitati filii Dei, emendationi generis humani et circumstantiis plane erat conveniens, ut multa multis brevi tempore traderet.

a) Christus trigesimo vitae suae anno, quo judaicis doctoribus prodire licuit, publice docere coepit, et per triennium usque ad finem vitae docuit 1) non certis diebus, sed inventa quavis occasione et opportunitate; (nam quae tempore suo, et loco proferuntur, fortius animum afficiunt, et firmius tenentur; et externae circumstantiae internam veritatis vim sustentant) praesertim tamen festis diebus, ubi animos quasi jam praeparatos invenit: 2) nec etiam in uno et certo loco, ne confluens multitudo occasionem seditionis caperet; sed ubicumque auditores inveniebat, praeprimis tamen in Galilaea, et festis diebus, ea ultimo vitae suae tempore etiam Jerosolymis; nam praeteriri non poterat metropolis, in qua mortem erat subiturus. 3) Discipulos admisit

omnis

omnis generis homines; praesertim tamen pauperibus evangelizavit; apostolis autem, quos operis sui ministros destinarat, clarius et fusius doctrinam suam explicavit.

b) Docuit autem ita, ut 1) publice ea proferret, quae ad illustrandum, emendandum et beandum omne genus humanum pertinent; coram apostolis autem saepius ac apertius loqueretur de persona sua, de regno suo, et de officio apostolorum; 2) ut sermone uteretur populari ac plano: — similitudines ac parabolas frequenter adhiberet, quibus et veritates clarius explicari, et efficacius animis admoveri potuerunt: ut veritatem dictorum suorum non ratiociniis, sed effatis sanae rationis, plerumque autem sola provocatione ad auctoritatem suam plenam: „Ego autem dico vobis.“ comprobaret: 3) ut demum docendo nec commoda, nec favorem, nec honorem quaereret; sed in omni munere suo suscipiendo et obeundo exhiberet pietatem erga Patrem Jo. IV, 34. XII, 49. 50. XVII, 4.; mansuetudinem et sapientiam erga discipulos, quorum defectus tolerat ac corrigit, atque erga peccatores et pauperes, quorum indigentiae doctrina et saepe miraculis succurrit; sapientem libertatem erga adversarios, quorum quaestiones captiosas et curiosas refellit, calumnias refutat, et vitia redarguit.

* Christus sapienter et benevole auditoribus suis se accommodavit 1) ita, ut loquendi formulas, captui auditorum aptas, eligeret, ipsum loquendi ordinem pro capacitate eorum disponeret, et sum loquendi modum adhiberet, qui animum fortius posset afficere et movere; — ita, ut non simul et semel

omnes et singulos errores, praejudiciaque omnia singula referret et refutaret etc. 2) nullatenus autem ita se accommodavit, ut erroribus eorum patrocinaretur, aut patrocinari videretur: id enim aperte repugnat characteri, fini et historiae etiam Christi, qui absque omni respectu humano hypocrisin, aliaque vitia, errores ac praejudicia Pharisaeorum, et Sadducaeorum etc. libere et potenter redarguit. cf. Die Lehrweisheit in einem Beyspiele. 1818.

Articulus II.

Divina religionis christianae origo.

§. 117.

Omnis jam religio Christi (non solum pars rationalis, sed etiam positiva, quam utramque idem Christus, et pari auctoritate promulgavit) in se non tantum bona et vera; sed divinitus etiam revelata est, uti inprimis ex internis revelationis characteribus facile intelligitur.

a) Longa et saepe hostili octodecim saeculorum crisi nihil in ea detegi potuit, quod vel Deo indignum, vel homini incongruum, vel fini nostro ultimo inconveniens esset. Philosophis gentilibus, qui primis aetatis christianae seculis Christi religionem impugnabant, praeter alios apologetas S. Justinus, Tertullianus, et maxime Origenes ll. VIII. adv. Celsum responderunt: ultimis hisce seculis adversarios ex Anglia, Gallia et Germania sat multos armis victricibus refutarunt defensores religionis christianae: in Anglia quidem Ditton,

West, Paley etc. in Gallia Bergier, Nonnotte etc. in Germania Stattler, Wiest, Beda Mayer, Sandbichler, Zimmer etc.

* Mysteria, quae in religione christiana occurrunt, non sunt vanae sine sensu, vel steriles sine fructu formulae, uti in theol. spec. ostenditur.

b) Tanta potius ejusdem bonitas et praestantia omni tempore et ubique apparuit, ut christiana religione melior ulla nunquam proferri potuerit. Innumeri sane homines nunquam non experti sunt veritatem verborum Christi Jo. VII, 17. „Si quis voluerit voluntatem ejus" (Patris) „facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquor." Mt. XI, 28 — 30. „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos ... Jugum enim meum suave est, et onus meum leve." In specie pars religionis christianae positiva, quae hodie tum aperta acie, tum per cuniculos variasque artes impugnatur 1) ipsam doctrinam rationalem de Deo, de moralitate et de immortalitate illustrat, complet et confirmat, ut firmior, et efficacior apud populum aeque ac apud doctos reddatur; 2) eamque aesthetica quadam sublimitate suavius humanae naturae in dignitate, vita, morte et resurrectione Christi admovet; cf. Dobmayer tom III. p. 448. sq. 3) sed vel maxime corrupto generis humani statui praeclare succurrit: nam primo originem corrupti istius status, cujus tristes effectus nos omnes experimur, in remedio autem alibi inveniendo frustra fatigamur, clare nobis detegit; deinde restaurationem ejus juxta benevolum Patris

consilium a Jesu Christo factam nobis exhibet; denique conditiones aeque ac media emendationis perficiendae et salutis impetrandae nobis proponit et offert; adeoque veritati, moralitati et felicitati optime consulit. Vide inprimis Rvd. Sailer librum: Grundlehren der Religion: ed. II. 1814. p. 233 sqq.

§. 118.

In re tanti momenti ab internis characteribus revelationis ad externos progredi, et inprimis ipsius Jesu Christi testimonium de seipso, (omni exceptione majus,) audire oportet.

a) Christus jam, qui optime scivit, unde suam hauserit religionem, perspicue et constanter professus est, se esse legatum Dei, et a Patre non solum mandatum docendi, sed ipsam etiam doctrinam accepisse. 1) De mandato quidem omnes illi textus valent, quibus Christus se a Patre ad docendum missum esse dicit, et propter missionem istam ab omnibus fidem exigit: Luc. X, 16. „Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.“ Jo. XII, 44. „Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.“ coll. Jo. III, 17. V, 36 — 38. VI, 29. 40. XII, 49. 50. — 2) Ipsam pariter doctrinam non aliunde, sed a Patre se accepisse, aperte dicit: Jo. VIII, 26. „Ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.“ v. 38. „Ego, quod vidi apud Patrem, loquor.“ Item Jo. VII, 16 sqq. „Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.“ Jo. XV, 15. „Omnia, quaecumque audivi

a Patre meo, nota feci vobis.“ XVII, 8. Et 3) haecce testimonia non solum coram populo Luc. IV, 16. Jo. VII, 16. sed etiam seorsim coram apostolis, quibus arcana regni sui revelavit, in ultimo suo ad eos sermone Jo. XIII — XVI. et in oratione ad Patrem suum Jo. XVII, 3. 7. ac etiam coram judicibus Caipha et Pilato repetiit Mt. XXVI, 63. 64. Jo. XVIII, 37.

* Ex his dictis facile intelligitur, quantopere a veritate devient scriptores illi recentiores, qui asserere non verentur, 1) quod doctrina Christi in sensu quodam generali, et mediate tantum divina sit dicenda, in quantum nempe omne bonum et verum a Deo repeti debeat; et 2) quod Christus sese ad religionem ab omni superstitione liberandam, suoque in vigore restaurandam in animo suo divinitus quasi percitum et provocatum senserit atque crediderit; et quod idcirco — coram populo tantum — ad altiorem auctoritatem sibi conciliandam de mandato divino locutus sit.

b) Testimonium Christi de seipso omnem exigit fidem, 1) utpote editum ab eo, qui ab omni fraudis, ambitionis, vel fanatismi suspicione remotissimus est, prouti id ex omni ejus charactere patet; 2) confirmatum etiam non solum exemplo vitae ad doctrinam suam perfecte accommodatae, sed ipsa etiam morte sua. 3) Accedit, quod nullatenus intelligi vel explicari possit, quomodo Christus religionem suam aliter vel aliunde accipere potuerit, quam a Patre suo. Eam certe non ingenio suo — si illud mere humanum dicas — sibi comparavit. Quomodo enim Jesus, humili loco enutritus, paupertate pressus, subsidiis culturae laetioris destitutus, et inter Judaeos, terrenum Messiam exspectantes et cere-

moniis nimium addictos degens tam egregiam religionem invenire, et ab omnibus naevis, quibus religio tum apud Judaeos, tum apud gentiles laborabat, immunem reddere et servare potuisset? Quare Judaei ipsi, Jesum audientes, obstupuerunt Luc. IV, 16 — 30 et Jo. VII, 15. dixerunt? „Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?“ Unde demum Jesus — puer duodennis — sapientiam illam hausit, quam doctores in templo Luc. II, 47. 49. admirabantur? — Eam pariter nec a gentilibus accepit: ii enim tam praestantem religionem nullibi habebant; cum philosophis illorum Jesus non fuit conversatus; libros autem eorum comparare pauper, et intelligere indoctus non potuit; insuper ipse omnes Graeciae Latiique philosophos longissime superavit: nec a Judaeis hausit: his enim ipse subvenit, et sectis illorum se opposuit; in sacris ipsorum libris prima solum christianae religionis elementa invenit; praeterea quomodo ipse solus dispersas in multis Vet. Test. libris veritates colligere, a multis nationis suae praejudiciis liberare, et ad universalem generis humani religionem elevare potuisset?

* Objiciunt: 1) Nullum testimonium valet in propria caussa. R. Valet — in iis rebus, quae testem proxime respiciunt, et a nemine, nisi ab ipso teste percipi possunt, dummodo facta verbis respondeant, omneque tum laudis, tum commodi proprii studium abesse noscatur. 2) Christus ipse dixit Joann. V, 31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. R. Christus eo loco tale testimonium rejicit, quod in sola alicujus testis assertione — sine aliis rationibus — fundatur, et proprii studii suspicione laborat. Unde ibidem ad testimonium Joannis et Dei provocat. Idem ipse

tamen Joann: VIII. 14 — 18. dicit. „Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio, unde veni etc.“

** Qui hodie originem doctrinae a Christo propositae ex doctrina Sadducaeorum vel Essenorum derivare volunt, nullam hujus figmenti rationem sufficientem, nullumque documentum vel testimonium afferunt, et historiae evangelicae aperte repugnant etc. Ille autem scriptor, qui scribere ausus est, Christum sapientiam suam ex Aegypto attulisse, aut e memoria sua dimisit, Christum in Aegypto fuisse infantem, aut somniasse, aut sanae lectorum suorum menti illudere voluisse videtur.

§. 119.

Verum quum testimonium Jesu Christi adeo singulare sit, et gravissimi momenti, Christus veritatem ejus apud Judaeos inprimis integra illustrium miraculorum serie per omnem vitam suam publicam confirmavit, quae in triplicem classem distinguere, et praecipua eorum breviter recensere juvat.

a) Prima miraculorum Christi classis continet curationes morborum variorum, ac desperatorum momentaneas ac stabiles, solo vocis jussu aut tactu peractas. Huc pertinet 1) curatio infirmi per 38 annos Joann: V. sabbatho facta, quae Christo occasionem dedit, dignitatem suam pathetice asserendi: 2) curatio caeci a nativitate Joann. IX. de qua forensis indagatio fuit instituta: pueri vel servi centurionis Matth. VIII, 13. et filii reguli Joann. IV, 50. quos absens sanavit:

4) paralitici Matth: IX, 1 — 8. ubi Christus probat, se habere potestatem dimittendi peccata.

b) Secunda in classe collocamus facta, quibus Jesus se dominum naturae ostendit, dum 1) aquas virtute vini donat Joann: II, 1. sqq. 2) ventis et mari imperat Luc. VII. 24. et super aquas ambulat ac Petrum ambulantem sustentat Matth. XIV, 26. 3) paucis panibus ac piscibus nunc quinque, nunc quatuor hominum millia satiat Matth, XIV, et XV.

c) Tertiam classem conficiunt suscitationes mortuorum, nempe 1) filii unici viduae in civitate Naim, tactu loculi et imperio vocis Luc. VII, 11, sqq. 2) filiae Jairi, archisynagogae, tactu et verbo Luc. VIII, 49. sqq. 3) Lazari, quatuor jam diebus defuncti, summa erga Patrem religione et solo verbo, qua de re concilium Judaeorum iterum deliberationem instituit. Joann. XI.

§. 120.

Horum jam miraculorum veritas prorsus manifesta est.

a) Inprimis quidem haec facta a Jesu Christo ita fuisse patrata, sicuti ab Evangelistis narrantur, indubitatum est ex auctoritate testium. 1) Testes eorum immediati sunt ipsi Evangelistae, qui miracula Christi non solum viderant vel audierant, sed similem etiam potestatem ab ipso acceperant, et in ipso narrationis modo aperta suae auctoritatis indicia praebent. 2) Mediati testes sunt tum omnes Judaei ac Gentiles, ad Evangelium transeuntes, qui quidem transitus, nisi

certa sint miracula Christi physica, maximum miraculum morale foret; tum principes Judaeorum, uti Nicodemus Joann: III, 1 — 3. Jairus Math. IX, 26. Luc. VIII, 56. et totus senatus Joann: IX. et XI, qui cum evidentiam facti negare haud posset, deliberat: „Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?“ — et tandem statuit: „Expedit, ut unus homo moriatur, quam ut natio tota pereat.“

* Adversarii, qui veritatem narrationis historicam negant, apertam nimis vim textui inferunt, et scepticismum historicum, prae quovis alio periculosum, inducunt.

b) Ipsa autem haec facta vere miracula fuerunt, id est, non ex arte naturali, casu, vel fraude; sed ex supernaturali divinae caussalitatis influxu repeti debent. Et quidem 1) artis naturalis nulla prorsus indicia occurrunt, et nostro etiam aevo ratio eventus illos adeo multos et varios ex viribus et legibus naturalibus explicare nequit; multo minus itaque in Christo ejusque discipulis illa aetate tam insignis naturae notitia supponi potest: cogitationem casus tollit insignis multitudo ac varietas signorum, voluntati Christi semper respondens, tum etiam exquisitus eorum consensus cum doctrina et scopo Christi: fraudem denique excludit character Christi, varietas miraculorum certo tempori non adstrictorum et sine omni apparatu patratorum, et acies hostilium animorum atque oculorum, omnia Christi facta observantium.

* Cur Judas artem, casum vel fraudem non prodit? — cur de iisdem Judaei Jesum coram Caipha et Pilato non accusant? — cur solus Jesus cum discipulis suis talia signa patrat?

2) Cogitur ergo ratio, singularem divinae caussalitatis influxum agnoscere, — sive methodum, qua Christus miracula patrat, sive finem, sive naturam eorum attendat. Methodus certe Deo conveniens est; utpote longe remota ab ea agendi ratione, quam deceptores observant; et cum religione erga Deum conjuncta. Finis Deo ubique dignus est; quid enim Deo magis dignum, quam humanis miseriis succurrere? cf. Sailers Grundlehren. S. 222 — 231. praeterea eadem auctoritatem Jesu Christi ceu legati divini ostendere et religionem praestantissimam, a Deo datam, introducere debuerunt. Natura denique illorum eventuum ea est, ut ii vires naturales evidenter superent, et in hodierna etiam notitiarum physicarum luce ex legibus naturalibus explicari haud queant.

c) Recte ergo cum coaevis Christi, cum Nicodemo, Jairo aliisque vim divinam in miraculis Christi agnoscimus.

* Fragmentista, Bahrdt, Horus, Volney „in den Ruinen" Dr. Paulus, Hezel, Gabler, Riem etc. quos alii longo satis agmine inter Acatholicos hodie sequuntur, omnem ingenii sui vim applicant, — et torquent non raro — in confingendis conjecturis, quibus narrationem evangelicam Mt. III, 13 — 17. XVII, 1 — 8. Jo. XII, 28 — 30. Luc. XXII, 43. et miracula Jesu Christi ad classem eventuum naturalium reducant. Talia figmenta jamjam saeculo III. Origenes in II. VIII. adv. Celsum quasi anticipando refutavit, et novissime refutarunt auctores supra citati §. 117. maxime Sandbichler: „Eine Stimme des Rufenden in der Wüste:" I — IV. Heft. Explicationes istae naturalisticae et psychologicae ipsis miraculis Christi mirabiliores sunt: et quisquis mira-

cula Christi inficiatur, miraculum morale, longe magis stupendum, admittere cogitur, opus nempe, quod Christus in mundo perfecit, quodque per octodecim jamjam secula — omnibus licet modis ubique et semper impugnatum — invincibile tamen persistit. Sed praestat audire Psalmistam, qui quibuscumque rei christianae adversariis toto psalmo II. respondet: „Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus? etc.“

** Egregie hanc ad rem observat cl. Hug: „Einleitung in das Neue Test.“ War denn Jesus nicht selbst ein Wunder? — Umsonst sehen wir uns nach seinem Volke, nach den Umständen um, die diese Blüthen nährten; die diesem Geiste in so kurzen Jahren zur Reife halfen, die im 30sten Jahre einen Sokrates hervorbrachten, der den athenischen im Leben und Tode, in Gröfse der Ansichten, in Reinheit des Erkenntnisses und der Lehre übertrifft; und zwar da, wo unter der Macht der Vorurtheile, der Superstition, der Autoritat, der Beschränktheit seiner Zeitgenossen und dem herabgesunkenen Nationalsinne die gröfsten Anlagen untergehen sollten. Und wie lange hat er gearbeitet an dieser Weltveränderung, welche vorzubereiten kein menschliches Leben hinreichend schien? — Nur wenige Jahre: „Er gieng (so hatte Er seine Dauer selbst bestimmt) wie ein Meteor vorbey, das in einem Augenblicke in Osten erscheint, und seinen Schimmer nach Westen sendet. Matth. XXIV, 26.

§. 121.

Haecce vera Christi miracula non tantum benevolum ipsius characterem ostenderunt, animosque ad audiendam ac accipiendam ejus doctrinam excitarunt atque praepararunt; sed etiam vim probandi

habuerunt — immediate quidem — ad ostendendam ipsius missionem et auctoritatem divinam, — mediate autem — ad evincendam divinam religionis originem. Quam quidem vim repetimus

a) ex natura ipsorum miraculorum: ea enim non nisi ex divina virtute proficisci potuerunt, quam Deus deceptori certe non communicavit. Hinc ex miraculis Christi dignitas ipsius messiana ac potentia multo clarius resplenduit et impedimenta ex humili Christi sorte oriunda sublata fuerunt:

b) ex ipsius Christi declaratione, frequenter prolata — tum coram populo, tum coram discipulis Joannis Mt. XI. 4 sq. tum coram apostolis Jo. XIV, 10 — 12. Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me ipso manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite." XV, 22 — 24. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum." Classici quidem textus sunt Joann: V, 36. „Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me." Joann. X, 37. „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre." cf. Joann: IX, 3. et XI, 4, 5.

c) et ex ipso effectu: Evangelistae etenim narrationi miraculorum subjungunt, multos prop-

terea in Christum credidisse, Christum filium Dei, vel prophetam magnum professos fuisse etc. Ita Nicodemus Jo. III, 2. dicit: „Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.“ cf. Luc. VII, 16. sqq. Luc. VIII, 56. IX, 16. 25. XI, 45. Ita ipsi pontifices et Pharisaei in concilio dicebant Jo. XI, 47. 48. „Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum etc.“ cf. Sailers Grundlehren. S. 279 ff.

* Neuere Schriftsteller läugnen, dafs Jesus die Wunder für Beweise seiner Sendung erkläret habe — aus folgenden Gründen: 1. Jesus berufet sich Joh. VII, 17. etc. auf die innere Güte seiner Lehre. Rx. Der vollständige Beweis mufs nach den Aussagen Jesu aus den Wundern und aus der Lehre geführt werden. Die innere Wahrheit und moralische Vortrefflichkeit der Lehre selbst ist kein hinreichender Beweifs für den gröfsten Theil der Menschen, besonders bey der positiven Lehre. Aber auch die Wunder allein können jene Stimmung des Geistes nicht hervorbringen, die Christus doch befördern wollte. 2. Jesus weiset die Wunderbegier ab — Matth. XII, 39. XVI, 1 — 4. Rx. Aber die wirklich geschehenen Wunder erklärt Jesus in den vorhin angeführten Stellen für Beweise seiner Sendung. — Wunder sind bisweilen der Anfangs - bisweilen der Bestätigungs - Beweis, aber nie der einzig hinreichende. — Wo Jesus Wunder abschlägt, geschah es aus wichtigen Ursachen, weil die schon gewirkten Wunder hinreichten; weil man die neuen anders deuten würde; weil das Verlangen nach neuen aus irdischen Absichten kam. — Uebrigens hat Jesus bey Matthäus auf das grofse Wunder der Auferstehung aufmerksam gemacht.

3) Christus verbietet die Kundmachung der Wunder. Bey. Er hat aber auch öffentliche Wunder gewirkt. Wo Er also die Kundmachung verbietet, geschah es wegen besonderer Umstande, um dem Zusammenlaufe des Volkes, oder den Verfolgungen seiner Feinde, wenn Er als Messias ausgerufen würde, vorzubeugen.

§. 122.

Vis probandi, quam miraculis Christi competiisse § praec: ostendi, aevo Christi et introducendae religioni christianae praeprimis accommodata fuit; sed nostro etiam aevo adhuc valet.

a) Aptitudo illa ex triplici potissimum ratione innotescit: 1) ex natura rei: divina enim origo religionis, et ejus quidem quoad magnam partem positivae, tum singularis prorsus dignitas Christi, et divina ejus missio non nisi ex factis pariter divinis intelligi potuerunt: 2) ex fine Christi, si personae ipsius ratio habeatur. Quomodo enim Christus, pauper, nulloque eruditionis et potestatis humanae decore insignitus, veterem religionem, quae multis miraculis originem et perdurationem obtinuerat, abrogare et novam introducere potuisset, nisi illustribus pariter miraculis divina ipsius auctoritas comprobata fuisset? 3) ex historia nationis judaicae, quae a quovis propheta miracula et vaticinia exigebat, et illa aetate Messiam terrestri majestate illustrem exspectabat.

b) Nostro etiam aevo miraculis istam vim adhuc competere, exinde con-

stat, quia 1) decursus temporis internam veritatis et argumenti alicujus vim imminuere non potest; quia 2) miracula ad substantiam historiae Christi pertinent, sine qua fides nostra inanis, aut mutila saltem esset; et quia 3) sine miraculis introductio christianae religionis intelligi, et divina ejusdem auctoritas et origo, praesertim quoad partem positivam, explicari nullatenus possent.

* Ut justum de ista miraculorum vi judicium feratur, haec ex Rvdmo Sailer adnotasse juvabit.“ — Die Wunder sind ein entscheidender Beweis für die göttliche Sendung Jesu — wenn sie in Verbindung gestellt werden — mit seiner himmlischen Lehre, mit seiner lautersten Absicht, mit dem mildesten Charakter, und mit seinem heiligsten Wandel.

** Objectiones recentiorum facile solvuntur. 1) Warum geschehen heute keine Wunder mehr? R. Weil die Wunder Jesu schon hinreichen. Die eigentliche Epoche der Wunder war die Zeit des Moses, Elias und Jesu. — Es möchte auch hart lassen, alle Wunder aus der Geschichte des apostolischen Mannes Franz von Xavier etc. wegzunehmen. Ist die Bekehrung eines verstockten Sünders nicht ein Wunder? etc. 2) Es sind Wunder für falsche Religion geschehen. R. Es ist Schande, dafs unsere Theisten diese Einwürfe noch von ihrem Celsus borgen, weil die Wunder für falsche Religion mit den Wundern Jesu weder nach der Glaubwürdigkeit, noch nach ihrer Natur, noch nach ihrer Zweckmäfsigkeit zu vergleichen sind. Wie falsche Münzen auf die Existenz und auf den Werth einer ächten Münze deuten; so deuten vorgebliche Wunder auf die Existenz und auf den Werth der ächten Wunder. Vergl. Beda Mayer.

§. 123.

Non solum miraculis, virtutis suae divinae argumentis; sed prophetiis etiam, praescientiam ac dominium suum testantibus, Christus veritatem testimonii sui, de seipso editi, comprobavit.

a) Triplicem autem potissimum dedit Christus prophetiam.

Prima est de fatis sui ipsius Luc. XVIII, 31. sqq. Mt. XX, 17. sqq. et Jo. XIII, 38. ubi 1) se ab uno discipulorum suorum negandum, altero prodendum principibus sacerdotum, et ab his morte damnandum; 2) tradendum gentibus, conspuendum, flagellandum, crucifigendum esse praedixit; simulque 3) tertia die se a morte resurrecturum esse praenuntiavit.

* Etiam prophetiam et respondentem ei eventum historia ostendit: certe Judaei, eoquod hujus de resurrectione prophetiae memores essent, sepulchri custodiam a Pilato petierunt.

Altera circa fata religionis ab ipso traditae versatur, ubi quidem Jesus 1) evangelium ante excidium Solymae in toto orbe praedicandum Matth. XXIV, 14. 2) ritum eucharisticum in memoriam mortis suae ignominiosae perpetuo celebrandum Luc. XXII. 16. sqq. coll. 1. Cor. XI. 24. sqq. et 3) ecclesiam suam perpetuo duraturam Matth. XVI, 28. praedicit.

* Hac cum praedictione, quam evangelistae testes fide digni referunt, accurate consentit historia, quae prae-

praedicationem evangelii, celebrationem eucharistiae, et perdurationem ecclesiae ostendit.

Tertia de fatis urbis, templi et nationis judaicae agit Matth. XXIV. Marc. XIII. et Luc. XXI. Praedicit Jesus 1) casus praecedentes, nempe seductionem per pseudoprophetas, persecutionem apostolorum, et progressum evangelii; 2) tum mutationem subito ingruentem, nempe angustias, urbis oppugnationem, eversionem ejus et templi, ut nec lapis super lapidem maneat: 3) demum eventus subsequos, dispersionem Judaeorum et perdurantem eorum desolationem.

* Eventum hujus prophetiae, quam evangelistae cum St. Stephano Act. VI, 14. referunt, Josephus de bello jud. omnis historia et modernus Judaeorum absque templo et rege vagantium, et victoribus suis superstitum status satis comprobant. Notandum in specie 1) Aelium Adrianum lapides destructae urbis in viciniam transtulisse, et novam civitatem, Aeliam a se dictam, aedificasse; postea — 2) sub Juliano, cum Judaei novum templum molirentur, prodigiis coelestibus eos ab opere fuisse deterritos.

b) Quodsi super hasce praedictiones reflectamus, facile haec duo intelligimus:

1) Eas esse veras prophetias: nam istae praedictiones et respondens iisdem eventus tam varia, adeo determinata, et a solo Dei consilio vel hominum arbitrio dependentia adjuncta continent, ut eas neutiquam a casu, fraude vel humana praescientia repetere oporteat; ut ingenuo et cordato cuivis, si adjuncta ista attente perpenderit, oppido patebit. Unde opus

non est, ut objectiones, quas hodierni omnium prophetiarum osores proferunt, recenseantur.

2) Pariter intelligimus, iisdem prophetiis vim inesse probandi immediate quidem missionem Christi divinam, quia eaedem cum persona et doctrina Christi intime connexae sunt: — mediate autem divinam originem doctrinae ab ipso propositae, praesertim cum secundae et tertiae prophetiae eventus ipse per 18 saecula continuo respondeat.

* Ordini, quem Deus in revelanda religione hactenus servaverat, omnino conveniens erat, ut, quoniam Moses et prophetae non solum doctrina et signis, sed prophetiis etiam inclaruerant, eodem charactere ultimus ac maximus propheta et Messias insigniretur, et religionem suam apud nationem, prophetis assuetam, prophetiis etiam confirmaret.

** Argumentum ex prophetiis nostro adhuc aevo valet; christiana enim religio nostro etiam aevo non ceu rationalis, sed ceu revelata est tractanda, quae miraculis et prophetiis divinam suam originem probat. Quin imo vel sola Judaeorum dispersio et desolatio perdurans quasi pro divina religionis christianae origine argumentum exhibet. cf. Storchenau „Philosophie der Religion" — et Zugabe zur Phil. der Rel.

§. 124.

Testimonio Jesu Christi sigillum quasi imprimit, et coronidem imponit resurrectio Jesu Christi.

a) Inprimis quidem Christus vere resurrexit. Ita enim 1) Evangelistae narrant, et Apostoli ubique terrarum praedicant, prouti ex ora-

tione Petri prima Act. II, 32. et Pauli Act. XVII, 31. et I. Cor. XV, 5 — 9. satis patet. 2) Veritas autem hujus testimonii juxta regulas criticae indubitata est — generatim quidem ex mutatione repentina in ideis de Messia, ex fide, et fortitudine Apostolorum, qui timidi antea morientem magistrum deserunt, et nunc redivivum ubique annuntiant: ex vita, miraculis, et morte, quibus apostoli testimonium suum confirmant; — ex assensu, quem apud Judaeos, et Gentiles praedicatio apostolorum invenit. — In specie Apostoli non fuere decepti: nam uti praedictionem Christi non intelligebant, ita tantam conversionem non exspectabant; sed consternati ac timidi nec mulieribus, nec sensibus primum fidebant: postquam autem viderant Christum — non singuli, sed plures (undecim, quingenti) non una vice vel nocte, sed per dies quadraginta, non e longinquo, sed propinquo: postquam eum audierant, et contrectarant, cum eo ambularant, et comederant, sufficientibus utique indiciis resurrectionem non potuerunt non agnoscere. Memorabilis praesertim est historia Thomae, ubi Christus manifesto argumento se redivivum probavit. — Tum vero apostoli decipere noluerunt: a dandae enim fraudis suspicione liberat eos tum character, pius erga Deum, reverens erga veritatem, benevolus erga homines; — tum modus testimonii, quod publice coram Judaeis, ac Gentibus eorumque tribunalibus edunt, magna constantia inter persecutiones continuant, et vita, miraculis ac morte confirmant; et res denique ipsa, quae nullam spem commodi in praesenti, nullam in altera vita, cujus exspectatio cum resurrectione Christi nectitur, offerebat, ut falsum

proferrent. — Demum nec potuerunt decipere: Praedicant enim Jesum, paulo ante crucifixum, ceu Messiam sua resurrectione declaratum; — praedicant in ipsa urbe Solima, prope quam mors contigerat, et cujus incolae communi fere consensu crucifixionem a Pilato petierant; — praedicant quinquaginta post mortem Christi diebus, solemni phaenomeno in die pentecostes ipsis suffragante, quin tamen fraus ipsis exprobretur, aut poena dictetur: immo potius fabula de furto corporis, dum custodes sepulchri dormiunt, et jussio, quae Apostolis silentium imponit, veritatem confirmat.

* Der Betrug konnte und mufste von den Juden aufgedeckt werden, wenn hier einer statt gefunden hätte.

b) Haec jam resurrectio ita cum religione Christi connexa est, ut divinam Christi auctoritatem, et divinam doctrinae a Christo traditae originem comprobet. 1) Inprimis enim ipse Christus suam resurrectionem praedixerat, et ad eam, tanquam praecipuum auctoritatis suae argumentum, provocaverat Matth. XII, 39. XVI, 4, 21. XVII, 9. XX, 19. — Apostoli autem resurrectionem ceu fundamentum omnis fidei christianae respiciunt et allegant Act. XVII, 31. 2) Deinde resurrectio, quae tanquam insigne miraculum et tanquam insignis prophetia aptam continet apologiam et conveniens operis a Christo bene et feliciter acti praemium) reipsa effecit, ut non solum Apostoli in fide sua roborarentur; sed etiam ut Jesus ceu Messias ubique agnosceretur, et religio ipsius tanquam divina acceptaretur.

* Die Auferstehung war 1) für die Apostel höchst rührend, dann belehrend, besonders da ihnen der neu belebte Freund die Geheimnisse seines Reiches und Herzens mittheilte, und endlich stärkend zum Muthe in ihrem Amte bis zum Tode:

2) sie war auch den Erwartungen der Vernunft entsprechend, damit durch Erfüllung der Weissagung Christi — die Harmonie zwischen Moralität und Glückseligkeit gezeiget und das Verdienst Jesu um das Reich Gottes auch vor den Menschen verherrlicht wurde. Mit Wehmuth würden wir unsern Blick von der Geschichte Jesu wegwenden, wenn sie sich ganz mit der blutigen Katastrophe des Kreuztodes enden sollte.

** Die Einwürfe kann man befriedigend lösen. 1) Jesus war nicht todt; wie Horus und Bahrdt vorgiebt, sondern in Ohnmacht und wurde durch die Spezereyen etc. wieder hergestellt. Bv. Der schnellere Tod Jesu folgte aus seiner zärtern Komplexion, und aus den vorher ausgestandenen Aengsten und Schmerzen, und würde auf die Oeffnung der Seite nothwendig erfolget seyn. Warum hat ihn denn Joseph begraben, wenn eine Hoffnung der Belebung da war? — Warum haben die Juden niemals den Aposteln diesen Vorwurf gemacht?

2) Der Fragmentist hält die Erzählung von der Grabwache für erdichtet; behauptet, dafs die Evangelisten sich widersprechen und darum ungültige Zeugen sind; will die Sache verdächtig machen, weil Jesus nicht zu Jerusalem erscheint. Bv. Die Auferstehung läfst sich ohne die Geschichte von der Grabwache beweisen: aber da man die Unächtheit dieser Erzählung weder aus innern, noch aus äussern Gründen zeigen kann, so bleiben wir billig bey der Erzählung des Matthäus. — In der Hauptsache stimmen

alle Evangelisten überein, obschon sie in den Umständen von einander abweichen, weil jeder nach seiner eigenen Nachricht erzählet: indessen findet man in jedem guten Bibel-Kommentar die Harmonie der Evangelisten dargestellt. — Zu Jerusalem hatte Jesus sein Werk vollendet. Die entschlossenen Ungläubigen würden auch dem auferstandenen Messias Luc. XVI, 31. nicht geglaubt haben, und für andere wurde theils durch die Wächter des Grabes, theils durch das Pfingstphänomen und die Predigten der Apostel die Sache hinlänglich bekannt.

3) Nach andern ist der Leichnam Jesu von den Aposteln gestohlen, oder durch das Erdbeben verschlungen worden. R. Eine Behauptung, die eben so historisch unrichtig, als philosophisch unmöglich ist. Wie blieben denn im Grabe die Leinwand und das Schweifstuch zurück? — Die Apostel konnten weder zu Nachts, noch beym Tage, weder vor, noch nach der Entfernung der Grabwache den Diebstahl wagen, zu einer Zeit, wo Jerusalem voll Menschen war, deren viele auch zu Nachts in freyer Luft blieben, und wo sich die Apostel aus Furcht vor den Juden verbargen. Aus diesen Gründen fällt auch eine andere Einwendung, dafs die Apostel sich durch Unterminirung den Eingang in das Grab geöffnet haben. — Die schlaffenden Zeugen wird sich doch ein jeder Theist schämen, heute noch anzuführen. — Die Verschlingung des Leichnams mit Zurücklassung der Tücher wäre ein sehr grofses, aber zweckloses Wunder.

§. 125.

Cum resurrectione arctissime connectitur ascensio Christi in coelum; redivivo enim Christo non locus alius, quam coelum congruit.

a) Vere autem Christus ascendit, prouti Marcus XVI, 19. breviter refert, Lucas XXIV, 50. et praesertim Act. I, 10. sqq. exponit; et Apostoli praedicant. Et sane ipsa ratio intelligit, eam doctori immortalitatis totius hominis, supremo praesidi regni moralis ab ipso in terra instituti, et Deo-homini ad mortem usque obedienti convenire.

b) Ascensio jam, quum Christo dignitatem suam et potestatem in coelo et in terra contulerit, 1) ostendit, eum opus suum in terra rite gessisse et in coelo prosequi; 2) ac proin divinam Christi auctoritatem, atque eo ipso etiam altiorem doctrinae ab ipso traditae originem evincit; 3) simulque nos ad pietatem ac spem adducit.

§. 126.

Divina religionis christianae origo et auctoritas, quam Christus miraculis, prophetiis et resurrectione sua abunde probavit, ex tota insuper religionis christianae historia, per octodecim jamjam secula decurrente, confirmatur, quae in exordio suo, in propagatione sua, et in sua perduratione manifesta divini concursus indicia exhibet.

a) Prodiit religio christiana 1) eo tempore, ubi ob corruptionem generis humani maximam summa et universalis erat auxilii divini indigentia, cui Deus pro paterna sua bonitate succurrit; simulque propter imperium Romanorum, tunc temporis vix non universale, magna aderat religionis christianae ad omnes nationes propagandae opportunitas; — 2) eo loco, (Judaea) ex quo vera religio tunc exire potuit,

et juxta Prophetarum oracula exire debuit; et ubi nulla florebat sapientia humana, ut divina clarius agnosceretur; — 2) per apostolos eorumque discipulos, alia auctoritate non instructos, nec aliis utentes armis, nisi sola veritatis virtute et operibus divinum concursum manifeste comprobantibus.

b) Propagata est 1) celerrime et amplissime, ut Plinius l. X. ep. 97. ad Trajanum jam scriberet: „Multi omnis aetatis, omnis conditionis, et utriusque sexus vocantur in periculum: neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius (Christianae religionis) contagio pervagata est:“ — 2) adversus impedimenta omnigena, eaque humanis viribus superiora; adversus odium, vafritiem et sapientiam philosophorum atque sacerdotum ethnicorum, adversus persecutiones crudeles; adversus perversam hominum indolem, cui adversatur religio christiana; adversus invidiam Judaeorum, et superbiam gentilium: Christus enim crucifixus Judaeis scandalum, gentibus vero stultitia est: — 3) per media, humano si rem penses judicio, infirma et prorsus insufficientia, uti egregie explicat Abbas Kormann: Sibylle der Religion: II. Ausg. Regensburg et suo jam tempore S. Chrysostomus exposuit. cf. Kistemaker.

c) Perduravit 1) non interrupta inter omnes rerum humanarum, quarumcumque, vicissitudines; 2) invicta adversus fortissimas omnis generis impugnationes, et inter pericula plurima et maxima; in discrimine, uti non nunquam videbatur, extremo: — 3) summa cum beneficentia, quam

per effectus suos praestantissimos et amplissimos per octodecim secula ubique exeruit — per eliminatum dominium flagitiorum, idololatriae et polytheismi consortium; per procuratam generis humani illustrationem et moralem perfectionem, uti omnis historia — maxime ecclesiastica — docet. cf. Dobmayer, qui tom. III. p. 525 — 576 omnem hanc materiam fusius exponit: et opus singulare Comitis de Maistre. „Vom Pabste“ übersetzt von Lieber. Francof. 1822.

c) Illud autem in hac religionis christianae historia praecipue venit notandum atque observandum, quod omnia et singula, quae de ejus exordio, propagatione, et perduratione brevissime duntaxat tetigi, a Prophetis, ab ipso Jesu Christo, et a S. Joanne in apocalypsi distincte fuerint praenuntiata, et postea saepe praeter omnem hominum sensum et expectationem, et hominibus utut reluctantibus — accurate sint impleta.

* Grotius, Montesquieu, Puffendorf etc. religionem christianam civitati esse utilissimam praedicarunt et ostenderunt. Illud nostris diebus quam maxime notari et urgeri meretur, quod religio christiana regum ac principum auctoritatem aperte ex divina repetat ordinatione obediendumque esse praecipiat — propter conscientiam. Qua de re commendari imprimis debent Com. de Maistre l. c. et „Versuch über Ursprung und Wachsthum der polit. Constitutionen — übers. von Albert von Haza. Naumburg 1822. — et Lud. de Haller „Restauration der Staatswissenschaft etc.

** Juvat addere verba ex Dobmayer 567. 1) Die Religion Jesu hat mit Vorzug des Rationalismus, der als solcher nicht für die Welt pafst, unläugbare

Verdienste — um die Aufklärung, weil durch sie der Monotheism an die Stelle des Götzendienstes und Polytheism gesetzt, die Lehre von Vorsehung und Unsterblichkeit verkündiget und der ganzen Welt bekannt, und insonderheit der äussere Kultus von allen ungeräumten, schändlichen und grausamen Ceremonien gereinigt wurde; — um die Verbesserung und Veredlung der Menschheit, weil durch sie nicht nur die herrschenden Laster von Wildheit und Grausamkeit, von Eigennutz und brutalem Stolze, von Härte gegen Arme, Sklaven, Kranke, vom Aussetzen oder Erwürgen der Kinder, von unnatürlichen Gelüsten verdrängt; sondern auch die edlern Gefühle der Moralität und Humanität erweckt und die sanftern Tugenden der Wohlthätigkeit, des Mitleids, der Versöhnlichkeit befördert wurden; — um die Beglückung der Menschheit, indem sie die Menschen durch sanftere Bande der Liebe vereinigte, dem büfsenden Sünder Ruhe des Herzens ertheilte, zum Kampfe für die Tugend ermunterte und mit frohen Aussichten in die Zukunft tröstete. — 2) Diese seligen Wirkungen waren besonders in den ersten Zeiten, wo die Sittlichkeit bey den Juden nach Joseph, und bey den Heiden nach Tacitus und Juvenal tief gesunken war, zur Bewunderung der Heiden recht sichtbar. Nicht nur in Jerusalem und Alexandrien, sondern selbst in Rom, in Korinth, in Ephesus etc. bildeten sich fromme Gemeinden, auf deren Frömmigkeit sich die Apologisten berufen haben, und die selbst Plinius in seiner Relation an Trajan, Lucian, der Spötter, und Julian anerkennen, wie Schwarz III. Theil. S. 84. aus ihren Zeugnissen beweiset. Vortrefflich ist die Bemerkung von Paley S. 554. lib. cit. dafs man die Wirkungen des Christenthums nicht in der Geschichte, die nur das äusserlich Auffallende erzählt, sondern im Kreise

des Volks und der stillen Familie suchen müsse, und dort Millionen von weisen, bessern und glücklichern Menschen finde, deren Namen in keinem Buche stehen. — 3) Vorzüglich zeigt sich die Religion in den Martyrern, die einen Mucius Scaevola und Regulus weit übertreffen, (S. Schwarz II. Thl. S. 88. u. f.) und in den Heiligen aus allen Ständen, die in jeder Periode aus dem Christenthum hervorgiengen, dafs die Sokratesse und Epiktete keine seltnen Erscheinungen unter Christen sind.

§. 127.

Corollaria. I. Religio christiana divinitus revelata est; uti constat 1) ex ipsa religionis hujus praestantia; 2) ex aperto Christi testimonio, quod omnem fidem nostram exposcit; 3) ex confirmatione per insignem miraculorum seriem, per prophetias, et per resurrectionem Christi, quae miraculum simul et prophetiam continet.

II. Divina religionis christianae origo et auctoritas per omnem religionis hujus historiam comprobatur — non tantum ob indicia divini interventus in exordio, in propagatione et in perduratione ejus conspicua; sed praeprimis ob perdurantem praedictionis a prophetis et a Christo potissimum factae eventum.

III. Quisquis christianus esse voluerit, integram et totam Christi religionem fide interna amplecti, et obsequio implere debet — non tantum partem ejus rationalem, sed etiam positivam; non tantum praecepta moralia, sed veritates etiam fidei: Christus enim nihil distinxit inter doctrinam et doctrinam; sed omnes et singulas

doctrinas suas idem Christus — eadem auctoritate — proposuit, et fidei, vitae ac spei nostrae normam stabilem esse voluit. Quod si constet de divina Christi missione et auctoritate, aut totus Christus est assumendus, aut nullus assumitur.

* Sunt insuper alia pro veritate religionis christianae argumenta, quae licet nec plenam, nec aequalem pro omnibus hominibus vim probandi habeant, adeoque in publicis pro religione christiana apologiis non sint adhibenda ceu solida argumenta, non tamen sunt contemnenda, nec etiam negligenda. Sunt autem ea fere sequentia: nempe 1) argumentum ex testimonio interno Spiritus Sancti juxta verba Christi Jo. VII, 17. Quare urgendi plane sunt homines, ut propria experientia vim religionis christianae benignam, et salutares ejus effectus cognoscere studeant. cf. Stolbergii dedicationem ad filios suos Gesch. d. Rel. I. Th. et „Ein Büchlein von der Liebe.“ 2) ex multitudine et fortitudine martyrum, quae vim veritatis manifestat, desidiam nostram confundit, animumque nostrum in firma religionis nostrae — aliunde satis comprobatae — fide et veneratione roborat; 3) ex securitate religionis christianae; quod quidem argumentum post Arnobium Weissenbach excoluit.

Caput III.

Nexus divinae revelationis.

§. 128.

Revelatio divina, licet triplici in periodo fuerit facta, pulchro tamen cohaeret nexu, utpote data ab uno Deo vero; et diversa tantum est in ambitu suo, et in methodo sua pro diversa hominum tum capacitate tum indigentia.

a) Revelationis quippe centrum unum in periodo triplici est Deus unus, verus ac vivus, creator et rector mundi, quem homines agnoscere, ac observatione mandatorum divinorum colere debeant. 1) Talis certe fides Patriarchis, Israelitis et Christianis Gen. I, 1. Ex. XX. Mt. XI, 25. Jo. XVII, 3. proponitur, et in triplici periodo Deus unus creator dicitur Dominus in coelo et in terra, et Rex regum, qui conservat omnia, disponit et gubernat cuncta fortiter et suaviter, et portat omnia verbo virtutis suae etc. 2) Eadem lex sectandi sanctitatem, et implendi voluntatem Dei perfectam in quavis periodo praescribitur: Abrahamo dicit Deus Gen. XVIII, 1. „Ambula coram me, et esto perfectus:“ Israelitis Lev. XIX, 2. „Sancti estote, quia ego sanctus sum:“ et Deut. VI, 5. „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc.“ Christus fidelibus suis idem dilectionis praeceptum denuo inculcat, et Mt. V, 48. praecipit: „Perfecti estote, sicut Pater vester coelestis perfectus est.“

b) Diversitatem quod spectat, ex fusiore religionis patriarchalis, mosaicae, et christianae descriptione Cap. II. facta colligitur, Patriarchis Deum unum sub nomine et notione potissimum Omnipotentis, (Schaddai) Israelitis ceu Aeternum, Immutabilem, Fidelem (Jehova) et Christianis maxime sub nomine et notione Patris fuisse exhibitum; ambitumque doctrinae, et modum, quo ea fuit communicata, diversae hominum in triplici periodo conditioni sapientissime convenisse. cf. cl. Brenner, qui haec omnia in opere suo egregio: „Versuch einer hist. philos. Darstellung der Offenbarung Bamberg 1810. accurate exponit. Item cl. Doederlein: Christlicher Religionsunterricht I, Th.“ eleganter explicat, singularem Dei revelantis conspici providentiam, si ratio habeatur — temporis, quo data fuit revelatio; — doctrinae, quam revelatio tradidit, — et methodi, quam Deus in danda revelatione servavit.

* De gentibus, quae divinam revelationem neglexerunt, S. Paulus Act. XIV, 15 dixit: Deus „in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.“ cf. Rom. I, 16 — 32.

§. 129.

Praeterea alium adhuc nexum suae Deus dedit revelationi, qui vocatur propheticus.

a) Juxta hunc nexum Christus — Messias — totius revelationis centrum est, quem Deus post tristem protoparentum nostrorum lapsum promisit, in aetate patriarchali ac mosaica per typos praefiguravit, et singulas quasi notas, quibus ipse suo tempore agnosci ac dignosci possit, per prophetas

praenuntiavit; — et quem praefinito tempore Deus misit in mundum.

* „Das Religionsgebäude fängt mit der Welt an, hört mit der Welt auf! Umfafst das Ganze der Menschheit; das Verflossene, das Gegenwärtige, Künftige! — Die Werke der Menschen stürzen zusammen. Von alten Reichen sieht man nur Trümmer. Falsche Religionsbegriffe, durch Trug und Schwärmerey erzeugt, werden von der Zeit verweht, wie vorübergehende Wolken vom Wind. Aber die göttliche Offenbarung, das Werk der Gnade, steht felsenfest da! — Christus ist der hohe Mittelpunkt der Zeiten! Verflossenheit und Zukunft sind auf Ihn gerichtet! Die erstere Ihn erwartend, letztere auf Ihm ruhend! Zwischen Genesis und Erfüllung der Apokalypsis, zwischen Kindheit und Zerstörung der Welt, — da steht Christus in Mitte!" Dalberg: Ueber das Universum. S. 111. Mannheim 1806.

b) De hoc jam nexu prophetico, tum quia is a Deo oriundus est, novoque ac singulari argumento veritatem revelationis divinae comprobat, tum quia prophetiae Messianae specioso eruditionis apparatu impugnantur, agendum est ita, ut 1) praemissa brevi de prophetiis Messianis theoria 2) prophetiae Messianae — praecipuae saltem — ordine chronologico adducantur, ac demum 3) eventus earum in Jesu Nazareno ostendatur.

* Hocce argumentum post Eusebium Caesar. „Praeparatio — et Demonstratio Evangelica." Daniel Huetius „Dem. Evang." Storchenau „Philos. der Rel. Pascal, Galura „NeuesteTheologie" Broix: Ueber den Ursprung des Messianismus", Allioli Aphorismen über Zuzammenh. d. h. Schriften, aliique pertractarunt.

Sectio I.

Theoria brevis de prophetiis Messianis.

§. 130.

Primum theoriae hujus punctum notionem prophetiae Messianae concernit. Est autem prophetia Messiana — praedictio, divinitus facta, de Messia, seu de futuro generis humani restauratore et salvatore; seu praedictio, quae notam aliquam futuri salvatoris indicat — sive internam, quae dignitatem Messiae, finem adventus, vel instituta ejus designat, sive externam quae tempus adventus, locum nativitatis, fata, mortem etc. praenuntiat.

* Adversarii nostri omnes istas prophetias vel ex fraude et malitia repetunt vel eas obscuras, et indeterminatas quasdam praesensiones esse dicunt, vel in generali quadam melioris sortis expectatione et voto subsistere asserunt. Quo jure haec talia dicant, ex recensione prophetiarum istarum patebit.

§. 131.

Secundo loco assignanda veniunt criteria, ex quibus genuinae prophetiae Messianae dignosci et definiri possint: veteres enim non nunquam nimium liberales fuerunt in statuendis ejusmodi prophetiis, recentiorum autem non pauci nullas agnoscere volunt prophetias vere Messianas.

Sunt

Sunt autem criteria ista 1) ipsum prophetiae argumentum: quod si sublimius sit, quam ut prophetae ipsius tempori ac statui tribui queat, jure ad sublimius Messiae aevum, ad sublimiorem Messiae personam etc. trahitur. Quo ex fundamento S. Petrus Act. II, 29 — 31 verba psalmi XV. et S. Philippus Act. VIII, 32 — 33. verba Isaiae LIII. de Jesu Nazareno valere dixit, non de alio:

2) auctoritas Christi et apostolorum. Quod si Christus ipse indicet in loco quodam veteris testamenti sermonem esse de Messia, vel certas quasdam Messiae notas in V. T. esse praedictas, dubitare jam non amplius licet ea de re: Luc. XXIV, 44. Christus etenim — qui ab aeterno est apud Patrem, omnia consilia divina novit. Idem valet de apostolis, quibus Christus arcana regni sui manifestavit, et praesertim circa prophetias Messianas Luc. XXIV, 45. „operuit sensum, ut intelligerent scripturas:“ quos insuper per Spiritum S. docuit omnem veritatem, ad regnum Dei pertinentem:

3) consensus denique tum veterum Judaeorum, quibus, cum iis prophetiae haud ignotae essent, nullumque earum corrumpendarum, vel perverse explicandarum motivum vel illicium suppeteret, major utique debetur fides, quam recentioribus, qui sensum literalem et traditionem pervertunt, ne Jesum profiteri Messiam cogantur; tum Ss. Patrum, quos legitimos sacrae scripturae interpretes venerantur catholici, quique temporibus Christi, ubi prophetiae istae implebantur, propinquiores — multa accuratius et certius nosse poterant, quam eruditi nostri aevi.

* Juxta hos canones non tam in una, vel altera prophetia est haerendum; sed argumentum ducendum est vel ex integra historia, uti Stephanus Act. VII. vel ex substantia, uti Paulus Act. XXVII. vel ex beneficiis a Messia praestitis et historia simul, uti Petrus et Paulus suis in sermonibus facere solent.

§. 132.

Tertio loco memorandae sunt regulae pro genuino prophetiarum istarum sensu determinando.

a) Non solum quaevis prophetia tum ob argumentum, quod est res futura, tum ob stilum, qui saepe paraboliCus juxta genium orientis est, obscuritatis aliquid habet; sed praecipue id locum habet in prophetiis messianis (uti S. Petrus I. ep. I, 10 — 12. et II. ep. I, 19 — 21. innuit) tum 1) ob sublimem Messiae dignitatem, quae cum tota capi haud posset, sub imaginibus cuivis aevo accommodatis adumbrari debuit; 2) tum ob arctam vaticiniorum messianorum cum nationalibus connexionem: unde fit, ut Judaeis, qui futura non viderant, et nobis, qui praeterita haud satis scimus, multa sint obscura: 3) tum etiam ob duplicem Messiae statum, unum humilem, sublimem alterum.

b) Opus ergo est 1) leges interpretationis grammaticalis et historicae, quae in quovis libro explicando servari debent, ita adhibere, ut quivis propheta suo ex scopo, charactere et modo cogitandi et loquendi exponatur, simulque parallelismi

etiam ratio habeatur. 2) Praesertim autem oportet audire Christum, qui sensum prophetiarum utique optime perspexit; et apostolos, qui a Christo et a Spiritu S. sensum genuinum edocti sunt. 3) Demum consulendi sunt tum veteres Judaei, qui initia intellexerunt, tum ss. Patres, quibus multa ex eventu clariora fuerunt.

* Praeclare advertit cl. Fried. Seiler: Ueber Weissagungen: p. 123 — 146 in prophetiis sensum divinum et humanum discerni debere, eumque alium apud prophetam, alium apud coaevos, alium apud posteros. Notari etiam merentur, quae cl. Ewald: „Die Religionslehren der Bibel aus dem Standpunkt unsrer geistigen Bedürfnisse" I. tom. p. 249. sqq. über das Perspectivische der Weissagungen observat: „Perspectivisch nennen wir eine Zeichnung, oder ein Gemälde, wenn es einen beträchtlichen Raum in die Tiefe vorstellt, wenn die Gegenstände darin vorgestellt sind, wie sie dem Auge, das in die Ferne hinaussieht, erscheinen — grofs und deutlich das Nahe, klein und weniger deutlich das Ferne, und immer kleiner und immer mehr in Nebel gehüllt, je ferner es ist: bis sich endlich alles in die gränzenlose Weite verliert. Bey allen perspectivischen Gemälden ist ein Vorgrund, der genau ausgemalt ist, und ein Hintergrund, der nur angedeutet wird. Zwischen dem Vorgrund und Hintergrund ist vieles nicht angedeutet, weil es sich auch in der Natur dem Auge nicht zeigt. Dadurch scheint der Hintergrund an den Vorgrund zu stossen, der doch oft sehr weit davon entfernt ist; und nur an dem Nebel, der sich darüber verbreitet, merkt man, dafs er weit zurück steht. Diesen Namen hat man gewissen Eigenschaften gegeben, die man in der Darstellung gewisser Bibelweissagungen fand.

Perspectivisch nennt man nemlich eine Weissagung, wenn zuerst von nahe bevorstehenden Begebenheiten geredet, und daran eine ferne, grofse Begebenheit geknüpft wird. Die nahe Begebenheit ist dann der Vorgrund, und die ferne, meist noch gröfsere Begebenheit der Hintergrund in dem prophetischen Gemälde. Auch hier wird der Vorgrund sehr bestimmt und deutlich ausgemalt, der Hintergrund aber, obgleich eine gröfsere Begebenheit, mit der fernen so genau verbunden, als ob sie ganz bald nach jener zu erwarten sey. Allein, wie der Maler die dazwischen liegenden Gegenstände nicht darstellt, weil sie sich dem Auge von dem angenommenen Standpunkte aus nicht zeigen; so stellt der Prophet die dazwischen folgenden Begebenheiten nicht dar, weil sie nicht zu seinem Zwecke gehören; z. B. 1. Mos. XII, 23. XV, 4 — 16. Luk. XXI.

Wir sehen, diese Art von Weissagungen hat allerdings viel Aehnlichkeit mit einer perspectivischen Ansicht: aber von andern Seiten ist sie ihr wieder unähnlich. Der Vorgrund in den Weissagungen ist meist Sachbild von dem gröfsern, Entferntern, worauf gewinkt ward. Die kleinere Person hat, in den Hauptzügen Aehnlichkeit mit der grofsen Person — die kleinere Begebenheit in den Hauptzügen Aehnlichkeit mit der grössern Begebenheit, die im Hintergrunde steht (Beyspiele David, Salomo, Christus: Gericht über Juden, über die Welt.) Das ist in perspectivischen Ansichten nicht der Fall. Manchmal wird die Unähnlichkeit noch gröfser. Die Weissagung stellt ein Gemälde vor, als wenn alles zu Einer Zeit geschehen solle. Man kann keinen Vorgrund und Hintergrund unterscheiden: (Joel. 3, 1. f.) und doch wird in Bildern noch etwas angedeutet. Aus der Art, wie Weissagungen oft erfüllt wurden, ahnet man erst, dafs das Gemälde einen Hintergrund habe,

oder dafs eine gröfsere Erfüllung zu erwarten sey. Ohne Zweifel hielt man manches, was Isai. 53 gesagt wird, für dichterische Ausmalungen, was aber hernach doch so pünktlich und buchstäblich erfüllt ward. In Bildern reden die Propheten allerdings: aber jedes Hauptbild bezeichnet etwas, das sich freilich meist erst nach der Erfüllung zeigt.

Manchmal ist in dem Sachbild alles ausgemalt, was dereinst gröfser und glänzender erfüllt werden soll. Die kleinere Begebenheit, die früher erfolgt, umfafst alle Züge der Weissagung so, dafs man diese dadurch für ganz erfüllt halten mufs. Und doch kömt eine gröfsere Erfüllung nach, an die jene kleinere gar nicht reicht. (Matth. XVII, 10. 12. Isai. VII, 14 f. mit Mtth. I, 22.) Dabey ist eine frühere Erfüllung das beste Pfand von der spätern, das Gott den Menschen geben kann. etc.

§. 133.

Denique de typis Messiae, in veteri testamento divinitus datis, pauca adnotasse juvabit.

a) Sunt autem typi — signa, quibus aliqua Messiae similitudo inest, divinitus ordinata; iique vel reales, si res, vel personales, si personae fuerint, quas Deus ad Messiam praefigurandum destinavit. Vult enim scriptura divina, uti observat S. Hieronimus in Jerem. XIX. non solum auribus doceri populum, sed etiam oculis; magis quippe retinetur, quod visu, quam quod auditu ad animum pervenit.

b) Ne autem nimii simus hac in re, typos genuinos ab imaginariis discernere oportet 1) ex manifesta analogia, quae utique non frustra a

Deo fuit disposita, et saepe nobiliorem rituum mosaicorum finem, utut Judaeis ignotum, ostendit; 2) atque ex auctoritate Christi, apostolorum et ss. Patrum. cf. §§. praec.

c) Dari typos Messiae in veteri testamento, nemo, qui spiritum sacrae scripturae profundius penetraverit, in dubium vocabit; et S. Paulus Rom. X, 1. „Finis legis Christus" I. Cor. X, 11. „Haec autem omnia in figura contingebant illis" asserit, et in epistola ad Hebraeos ostendit.

* Praecipui ejusmodi typi sunt — personales quidem — Adamus habitu ad universum genus humanum I. Cor. XV, 45. Melchisedech regia et sacerdotali dignitate Hebr. V. Jonas reditu in vitam Mt. XII, 40. et diverso respectu Isaac, Joseph, Moses, David, Salomo etc. reales autem serpens aeneus Jo. III, 14. agnus paschalis, et varii ritus mosaici. cf. Stolberg: Geschichte, et „Betracht. und Beherz. der hl. Schrift.

Sectio II.

Recensio prophetiarum messianarum.

§. 134.

Inter prophetias messianas, quas ordine chronologico recensere oportet, ut earum origo, progressus et successiva quasi evolutio, sapientissime a Deo concessa, clarius pateat, in aetate patriarchali tres occurrunt prophetiae.

a) Prima, quae Protoevangelium, sive prima Salvatoris promissio audit, Gen. III, 15. his Dei

verbis enuntiatur: „Inimicitias ponam inter te (serpentem) et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.“ Quibus verbis reparatio damni a serpente illati per unum ex muliere natum — in specie — promittitur; id quod non nisi de Messia valet. Hunc sensum 1) textus et circumstantiae commendant, ut nempe protoparentes, sensu miseriae jam imbuti, et justitiam Dei experti, per hanc promissionem spe erigerentur, et misericordiam Dei agnoscerent: 2) Novi testamenti auctoritas comprobat, in quo Jesus filius hominis, factus ex muliere Gal. IV, 4. venit, ut principem mundi ejiciat foras Jo. XIII, 31. et opera diaboli solvat I. Jo. III, 8. etc. et 3) auctoritas trium Targumim (expositionum) Jonathae, Onkelosi et Jerosolymitani, tum versionum, tum ss. Patrum confirmat. Judaei teste Buxtorfio in symbolo profitentur: „Credo plena fide Messiae adventum, qui nobis a principio promissus fuit.“

b) Altera, Abrahamo Gen. XII, 3. „In te benedicentur universae cognationes terrae:“ facta, et saepius iisdem fere verbis repetita; Gen. XVIII, 18. et juramento etiam firmata Gen XXII, 16. „Per memetipsum juravi“ — 17. „Benedicam tibi“ 18, „Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae“ . . . et ad Isaacum etiam Gen. XXVI, 4. propagata — promittit, per unum ex Abrahamo per Isaac oriundum omnes cognationes terrae esse benedicendas; id quod ad Messiam respicit.

Veritas hujus sensus intelligitur 1) ex ipso argumento, quod ob sublimitatem suam, et

amplitudinem benedictionis et ejus quidem coelestis ad Messiam nos adducit: 2) ex consensu Judaeorum, omnia ab Abrahamo petentium; et 3) ex auctoritate tum Christi Jo. VIII, 56. „Abraham, pater vester, exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est:“ tum apostolorum, Petri Act. III, 25. „Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae“ et Pauli Gal. III, 16. Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.“

c) Tertia eaque celebrior est Gen. XLIX, 8 — 11. ubi Jacob moriens terrestrem benedictionem inter singulos filios suos quasi distribuit, coelestem autem benedictionem Judae assignat: „Juda! te laudabunt fratres tui etc.“ — et tempus praedicit, quo venturus sit Messias: „Non auferetur sceptrum (Schebeth) de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est (Schilo) et ipse erit expectatio gentium:“ id est: tribus Juda non tantum praerogativam, sed proprium etiam statum civilem, (cujus insigne est sceptrum) et legislatorem semper habebit, et tribubus reliquis dispersis retinebit; — et in tempore dissolvendae civitatis (auferendi sceptri etc.) veniet Messias.

Hunc esse praedictionis istius sensum, constat 1) ex eo, quia de solo Messia praedicari potest: „Ipse erit expectatio gentium“ vel „ad ipsum erit congregatio populorum, et obedientia:“ 2) quia tum

versiones, tum veteres Rabbini hunc sensum acceperunt; 3) quia unanimis tempore Christi persuasio fuit, Messiam ex Juda descendere etc. cf. Jo. IV, 22. „Vos“ (Samaritani) „adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Judaeis est.“

* Plures, magisque distinctae de Messia prophetiae in hac aetate exigi non possunt, quia adventus Messiae adeo remotus erat.

§. 135.

In periodo mosaica clarior et amplior evasit notitia de Messia. Unde hoc sub respectu triplicem epocham discernere expedit; et quidem

a) ex epocha prima, quae a Mose, 1500 annis ante Christum, usque ad Davidem excurrit, una tantum habetur prophetia messiana Deut. XVIII, 15. — „Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies:“ — v. 18. „Ait Dominus . . . Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui: et ponam verba mea in ore ejus .. etc.“

b) Per prophetam istum promitti et designari Messiam, patet 1) ex ipso textu: nullus enim alius propheta, excepto Messia, Mosi similis est non tantum familiari Dei colloquio, sed potissimum institutione novi foederis, et liberatione populi: 2) deinde ex communi Judaeorum fide, Messiam a Mose promissum expectantium Jo. I, 45. uti dicit Philippus Nathanaeli; „Quem scripsit Moses in lege, et prophetae, invenimus Jesum, filium Joseph

etc.“ et 3) praesertim ex auctoritate tum Christi Luc. XXIV, 44. „Necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis et psalmis de me.“ Jo. V, 46. „Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.“ tum Petri Act. III, 21. sq. . . „Moyses quidem scripsit: (de Christo) „Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me etc.“

* Moses, qui constitutionem divina auctoritate nunc primum dederat, ejusque observationem graviter Israelitis commendabat, non poterat eo jam tempore de futura constitutionis illius abrogatione apertius loqui, et claras de Messia notitias nationi tradere, utpote nec necessarias, nec utiles; aliquas tamen de eodem suggessit notitias, ne Judaei, qui toti jam a Mose pendebant, omnem promissionem sola constitutionis introductione impletam existimarent.

§. 136.

Altera in epocha, a Davide usque ad Danielem, quoniam omnes prophetae a Samuele et postea Act. III, 24. et X, 43. Messiae testimonium perhibent, plures prophetiae fuerunt prolatae, quae Messiam praecipue qua Regem, et salutem a Messia afferendam et dandam sub imagine Regni ter quaterque beati annuntiant.

a) Inprimis quidem 1) Davidi ipsi Deus, sicut Abrahamo, duplicem fecit promissionem II. Reg. VII, 12 — 16. unam de regno terrestri, posteris ejus, si praecepta divina custodiant, dando: alteram de regno coelesti, quod Deus Messiae, ex familia Davidis oriundo, daturus est. „Et regnum

tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter.“ Quae duplex promissio repetitur III. Reg. IX, 3 — 9. et Ps. LXXXVIII, 29 — 38 explicatur. „In aeternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi . . . . . Si autem dereliquerint filii ejus legem meam . . . visitabo in virga iniquitates eorum . . . Misericordiam autem meam non dispergam ab eo . . . Neque profanabo testamentum meum . . . . . Semen ejus in aeternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo etc.

Hanc jam Dei promissionem ita esse intelligendam, docent — primo Prophetae, qui praedicunt, Messiam regem fore, ex Davidis familia oriundum, uti Isaias XI, 1 sq. Jeremias XXXIII, 15 — 17. „In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen justitiae . . . . . et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster. Quia haec dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel.“ Ezechiel XXXIV, 23. secundo Judaei, qui aevo Christi credunt, Messiam a Davide descendere, approbati ab ipso Christo Mt. XXII, 42. Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.“ Illi etiam, qui Jesum profiteri volebant Messiam, clamabant: „Jesu, fili David!“ tertio angelus confirmat annuntians Mariae nativitatem Messiae Luc. I, 31 — 33. „dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui; et regnabit in domo Jacob in aeternum; Et regni ejus non erit finis.“

* Etsi forte David ipse ultimam hanc promissionis divinae partem plene non intelligeret, simplici tamen fide eam acceptavit.

2) Per Davidem dein Deus ideam Messiae magis explicavit in psalmis, in quibus dignitas Messiae simul, ac humilitas describitur. — Dignitas quidem Messiae praenuntiatur Ps. II. ubi Messias dicitur rex omnium populorum — aeternus, filius Dei: „Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae etc.“ Ps. XLIV. ubi Messias vocatur rex, regibus omnibus superior, sedens in throno aeterno, justus, et in aequitate regnans, Deus: Ps. LXXI, 1 sqq. ubi dicitur rex adorandus, salutem afferens omnibus gentibus etc. „Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum . . , Et permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem . . . Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna . . . . Coram illo procident Aethiopes: et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulae munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent; Et adorabunt eum omnes reges terrae: omnes gentes servient ei.“ Ps. LXXXVIII, de quo jam dictum est num. praec. Ps. CIX. ubi Messias praedicatur Dominus Davidis, sedens ad dexteram Dei, genitus ante luciferum, — sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. — Omnes hosce psalmos vere de Messia agere patet tum ex ipsa argumenti sublimitate, tum ex sensu Judaeorum, tum ex auctoritate Novi Testamenti Mt. XXII. Luc, XXIV, 27. 44. Hebr. I. VI.

Humilis Messiae status praenuntiatur Ps. XV. ubi moriens justus resurrectionem petit et obti-

net coll. Act. II. dein Ps. XXI. cujus argumentum de illusione, de perforatione pedum ac manuum, de divisione vestimentorum etc. Messiae consentit; cujus verba prima Christus in cruce recitat, coll. Jo. XIX, 24. tum Ps. XXXIX, 1 — 8. coll. Hebr. X, 5. ubi Christus ingrediens in mundum se offert ad supplendos sacrificiorum leviticorum defectus: demum Ps. LXVIII. ubi plures Messiae patientis characteres occurrunt.

b) Tristiore illo aevo — post defectionem decem tribuum — Deus, ne spem Messiae populus amitteret, plures misit prophetas, qui notitias superiorum temporum conservarent, et novis etiam augerent explicationibus. Quos inter eminet Isaias, ob multitudinem et claritatem prophetiarum messianarum Evangelicus dictus a S. Hieronymo, qui 1) sublimem Messiae statum descripsit, praenuntians, eum fore regem, ex Davide oriundum, XI, 1 sq. „Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus etc.“ — nasciturum ex virgine VII, 14. „Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur Emmanuel:“ (Deus nobiscum) coll. Mt. I, 23. — insigni gloria illustrem, qui legem et salutem daturus sit omnibus, ipsis etiam gentibus: II, 2 — 5. XI, 1 — 10. XLIX, 6. „Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis. salus mea usque ad extremum terrae.“ coll. Act. XIII, 47. Omitto alia oracula, in quibus doctrina, vita et miracula Christi describuntur. 2) Is ipse humilem Christi sortem praedicit. Celeberrima est prophetia Isai. LII, et LIII. ubi passio

et mors violenta, Messiae propter iniquitates nostras inferenda, simulque gloria Messiae inde oriunda, et salus mundi praedicuntur. Hunc sensum loci illius non tantum praedicata et adjuncta passionis indicant; sed auctoritas novi testamenti probat: Philippus enim Act. VIII, 22 et Petrus I. ep. II, 22. aperte locum illum de Messia agere praedicant.

* De reliquis prophetis seorsim dicere, nimis longum foret. Unde pauca tantum addo. Micheas V, 2. septingentis ante Christum annis locum nativitatis — Bethlehem — coll. Mt. II. — Amos IX, 10 — 15. conversionem Judaeorum et gentilium ad domum David, et Osee XIV, 2 — 10 dispersionem gentium, Joel III, 1 effusionem Spiritus Sancti coll. Act. II. praedicunt; Jeremias sexcentis ante Christum annis XXXI, 31. abrogationem veteris et institutionem novi foederis praenuntiat.

§. 137.

In epocha tertia a Daniele usque ad Christum — notitiae messianae penitus determinatae, et usque ad tempus Christi propagatae fuerunt.

a) Praecipuam mentionem meretur prophetia Danielis IX, 22 sqq. 1) Gabriel angelus Danieli dicit: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatae" (definitae) „sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas,

et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursus aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est . . . . . Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio."

2) Angelum jam de Messia, ejusque violenta morte, et de tempore mortis istius loqui, primo ipsum prophetiae argumentum clare indicat tum solemni locutionis tenore, tum nominibus — ducis, Christi, Sancti sanctorum — tum propter insignes effectus de delenda iniquitate, de adducenda justitia, de omni prophetia implenda, de abrogatione veteris et institutione novi pacti; tum ex magnitudine poenae ob occisionem Christi irrogandae: deinde sensus Judaeorum comprobat, qui teste Josepho in hac Danielis prophetia tempus adventus Messiae designari credebant: demum auctoritas etiam Novi Testamenti Mt. XXIV, 15 sqq. confirmat.

* Hebdomades istae 1) sunt hebdomades annorum, apud Judaeos usitatae (quae annos 490 complectuntur) 2) dividuntur in septem hebdomades (49 annos), intra quas templum cum civitate restituetur; — in

sexaginta duas (in annos 434) et in ultimam, in cujus dimidio occidetur Christus. 3) Exordium earum ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani sumi solet.

** Cum nos ultra bis mille annos a Daniele distemus, non potest non superesse obscuritas, quae ob incertitudinem Olympiadum, quibus omnis chronologia innititur, ob incertitudinem annorum, quibus reges isti Persarum regnarunt, et ob incertitudinem anni natalis Christi tolli haud queat. Sufficit tamen nobis, quod finem hebdomadum in ruina templi et statu desolationis per tot jamjam secula agnoscamus.

*** Alias etiam prophetias de Messia Daniel exhibet; de regno ejus aeterno et supremo etc. cf. Dan. II, 44, VII, 13. 14. 26.

b) Post reditum ex captivitate quum tam familia Davidica, quam ipsa natio pristinam gloriam suam magis ac magis amitteret, prophetae post Danielem prophetias veteres de Messia repetunt, ut fides foveretur, et novas quasdam addunt.

Zacharias praeter alia XI, 12. 13. venditionem Messiae praedicit.: „Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et projeci illos in domum Domini ad statuarium.“ coll. Mt. XXVII, 9. cap. XII, 10 transfixionem coll. Jo. XIX, 37. cap. XIII, 7. percussionem pastoris, et dispersionem ovium coll. Mt. XXVI, 31. cap. IX. 9. „Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae.“ coll. Mt. XXI, 1. sqq.

Aggaeus

Aggaeus II, 7 — 10. „Haec dicit Dominus ... Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: Et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam“ (templum secundum) „gloria, dicit Dominus: Magna est gloria domus istius novissimae plus quam primae etc.„ coll. Hebr. XII, 26.

Malachias demum III, 1. „Ecce ego mittam angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis; et angelus testamenti, quem vos vultis.“

c) Post Malachiam, annis 450 ante Christum, quum singulae notae ad Messiam agnoscendum satis jam essent determinatae, nova non amplius occurrunt vaticinia; fides tamen et notitia Messiae constanter servabatur inter Judaeos, et pia ac ardens Messiae expectatio ab iis fovebatur, prouti id patet 1) ex libris deuterocanonicis: I. Mach. XIV, 41. Judaei et sacerdotes consenserunt, eum (Simonem) esse ducem, et summum sacerdotem in aeternum, donec surgat propheta fidelis. Eccli XXXVI, 1 — 19. Orant pro adventu Messiae, eumque expectant: 2) ex Novo Testamento; ex quo discimus, etiam Samaritanos eo tempore Jo. IV, 21. Messiam expectasse. 3) Ipsis denique gentilibus ista Judaeorum fides ignota non fuit, uti colligitur ex Suetonio in Vespas. c. 21. „Percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit,

praedictum, Judaci ad se trahentes rebellarunt" — et ex Tacito hist. l. 5. „Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur, quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerunt."

§. 138.

Ex allatis hactenus prophetiis completus Messiae character deduci, et consilium ejusdem aestimari potest.

a) Character Messiae juxta Prophetas, et quidem 1) externus is est — quoad vitam privatam: — Messias ex semine mulieris, — ex familia Abrahami, et Davidis, — et ex virgine matre Bethlehemi nasciturus, et a regibus adorandus;

tum in Aegyptum fugiens Osee XI. 1. in Galilaea habitaturus Isai. IX. 1. sq. et implendus Spiritu S. Isai: XI, 1 — 8. praedicitur:

quoad vitam publicam annuntiant prophetae Messiam — post praecursorem venturum, et evangelium ex Sion praedicaturum Isai. III. 2. et XLIX, 6. miracula patraturum Isai. XXXV, 5. Apostolos in orbem missurum Isai. LXVI, 19. et abrogata lege veteri novam pro gentibus quoque promulgaturum Jerem. XXXI.

Vitam humilem ita delineant prophetae, ut non solum mortem violentam ob peccata populi; sed etiam adjuncta mortis, nempe venditionem, sputa, livorem vulnerum et flagella Isai. LIII. societatem latronum, et orationem pro impiis, plagas manuum ac pedum, fel, acetum, et sortem super vestes determinent.

Quoad vitam gloriosam prophetae — gloriosum Messiae sepulchrum, descensum ad inferos et resurrectionem, tum ascensionem ad coelos Ps. LXVII. consessum ad dexteram Patris et missionem Spiritus Sancti, denique universale et aeternum regnum describunt.

* Wenn eine einzige Weissagung schon merkwürdig ist, wie wichtig mufs die ganze Reihe seyn? Pascal.

2) Character autem internus sive moralis is est: — Messias tum ipse sanctus et justus, tum etiam deletor peccati et auctor justitiae dicitur; eamque ob causam auctor novi foederis, et legislator non Judaeorum modo, sed et gentium sublato gentilismo et Mosaismo, sive rex, et sacerdos in aeternum, et magnificans Deum a solis ortu usque ad occasum oblatione nova annuntiatur: simulque per passionem et mortem intrans in gloriam suam, et homines a peccatis liberans praedicitur.

b) Consilium jam Messiae, sive opus a Messia perficiendum juxta totam prophetiarum oeconomiam non est, nisi ut Messias regnum Dei, inter homines peccato perditum, doctrina et morte sua restauraret.

* Dieses grofse Thema wird 1) nach und nach entwickelt. Die Sünde fängt bey den ersten Menschen an, und defswegen auch die Verheifsung der Hülfe, die bey merkwürdigen Gelegenheiten näher bestimmt wird; — dafs sie durch einen Sohn Abrahams und Davids soll geleistet werden; dafs sie sich von Jerusalem aus über Juden und Heiden verbreiten würde, dafs sie ein ewiges Reich der Wahrheit, Tugend und Seligkeit seyn würde. 2) Die Form der Entwicklung ist selbst dem Bedürfnisse, der Fähigkeit, und der Lage der Menschen angemefsen;

sonst würden die Weissagungen nicht hinreichend gewirket haben. Der Mefsias ist zuerst Zertretter des Hauptes der Schlange; dann der Segen der Welt; und endlich Prophet, König, Hoherpriester, in welchen drey Ideen die höchste Würde der Theokratie ausgedrückt ist.

** Die messianischen Weissagungen wurden mit den nationalen verbunden, damit jene nicht ohne Bestätigung, und diese nicht ohne Frucht wären.

§. 139.

Harum jam prophetiarum veritatem tum historicam, tum philosophicam facile intelligimus.

a) Historica quidem veritas constat, quia in statu theocratico prophetiae maxime verosimiles sunt; et quia hae praecise prophetiae in libris summa auctoritate dignis continentur; quam quidem auctoritatem ipsi adversarii nostri — Judaei — maxima religione tuentur.

b) Philosophica autem veritas inde patet, quia integra prophetiarum messianarum series adeo singularis, sublimis, et cohaerens, — a tam diversis, iisque bonis viris editarum, — et cum tam felici eventu conjunctarum nec a fraude, nec a fanatismo, nec etiam a naturali sagacitate et patriotismo repeti potest; sed cogitur ratio singularem Dei consursum agnoscere.

Quae quidem sententia insuper confirmatur fide totius nationis judaicae, tum professione prophetarum, qui missionem suam probarunt, ac denique auctoritate Christi Matth. XXII. et apostolorum II. Petr. I, 21. et II. Tim. III, 16.

* Diese Weissagungen konnten und sollten mehrere moralische und religiöse Zwecke befördern. Wir wollen aber hier nur ihren vorzüglichen Zweck kurz betrachten. 1) Bey den Juden — sowohl den Zeitgenossen, als Nachkömmlingen der Propheten — konnten und sollten sie dazu dienen, sie auf die Ankunft des grofsen Beglückers, Verbesserers, und Lehrers aufmerksam zu machen, und zum würdigen Empfang desselben vorzubereiten. — Die Juden haben bey ihrer Zerstreuung ihre Hoffnungen auch der übrigen Welt mitgetheilt. 2) Für die Zeitgenossen Jesu waren sie das Mittel, den wahren Messias zu erkennen, und zu unterscheiden. Sie dienten also zur Introduktion des Christenthums. 3) Für unsere Zeiten dienen sie nicht nur zur Wiederlegung der Juden aus ihren eigenen Büchern; sondern auch um unsern Glauben an das Christenthum zu befestigen.

Sectio III.

Eventus prophetiarum messianarum in Jesu Nazareno.

§. 140.

Eventum prophetiarum messianarum mundus expectabat aetate Christi, prouti constat

a) ex Evangelio, nempe ex tota historia magorum Mt. II. praesentatione Jesu in templo Luc, II, 25 — 28, tum ex legatione Judaeorum ad Joannem Jo. I, 19 sqq. interrogantium eum: „Quid ergo baptizas, si tu non es Christus etc. ex legatione praecursoris ad Jesum Mt. XI, 3 sqq. „Tu es, qui ventu-

rus es, an alium expectamus?“ et ex colloquio Christi cum muliere Samaritana Jo. IV, quae propinquum credidit adventum Messiae;

b) et ex aliis scriptoribus; nempe ex Josepho, qui refert, plures eo tempore Messiam simulasse: ex Suetonio et Tacito, qui persuasionem istam eo tempore fuisse communem testantur. cf. §. 137.

§. 141.

Messiam jam advenisse, certum est

a) ex prophetia Jacobi; quia jam ante 1700 annos sceptrum a Juda ablatum, et status civilis proprius Judaeorum dissolutus est, uti ex historia constat, et ex propria Judaeorum confessione; Herodes enim, Idumaeus, a Romanis regio nomine fuit insignitus; Judaei Pilato Jo. XVIII, 31 sq. dicenti: „Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum:“ responderunt: „Nobis non licet interficere quemquam“ et Pontifices etiam Jo. XIX, 15. responderunt: „Non habemus regem, nisi caesarem.“

* Die Fortdauer der zehn Zünfte jenseits des Sabbathflusses gehört zu den Fabeln, und pafst gar nicht hieher, weil von Juda die Rede ist.

b) ex prophetia Danielis; septuaginta enim hebdomades jam pridem finitae sunt, et eventus, qui ex praedictione Danielis adventum et occisionem Messiae insequi debebant, jamjam contigerunt, et per octodecim secula perdurant; ruina nempe urbis et templi, et omnimoda Judaeorum desolatio:

c) ex prophetia Aggaei et Malachiae; quia Messias ad populum suum, ad terrem Palaestinae

Judaeis propriam, et ad templum secundum jamjam destructum — venire haud amplius potest.

§. 142.

Atque hic Messias non est alius, nisi Jesus Christus.

a) Ita quidem 1) Jesus ipse, et ipse primus, et quidem ipse solus cum effectu de se profitetur coram muliere Samaritana Jo. IV, 26. coram discipulis Joannis Mt. XI. coram apostolis suis Mt. XVI, 15 — 21. coram populo Jo. X, 24. 25. et coram tribunali, adjuratus in nomine Dei altissimi Mt. XXVI, 63. 64. 2) Quod quidem testimonium omnem meretur fidem tum propter summam Jesu Christi modestiam et sanctitatem; tum propter opera ipsius; dein quia Pater illud approbavit, ac denique quia historia per octodecim jamjam secula soli Jesu Christo suffragatur.

b) In ipso solo omnes Messiae notae, a prophetis praenuntiatae, consentiunt, et quidem 1) quoad characterem externum — Christus eo, quo Messias expectabatur, tempore — Bethlehemi, ex familia Abrahami et Davidis, ex Maria virgine nascitur: — Post praecursorem ipse Evangelium praedicat, miraculis confirmat, Apostolos mittit etc. — Dein omnes Evangelistae testantur, Jesum mortem violentam cum omnibus, quae prophetae referunt, adjunctis obiisse, et postea gloriosum statum honorifica sepultura, resurrectione, ascensione in coelum, et missione Spiritus Sancti obtinuisse, et ad dexteram Patris regnare. 2) Quoad characterem internum Jesus, ipse sanctus, peccatum

doctrina, exemplo et morte delevit, et justitiam adduxit; — dein abrogato veteri testamento novum instituit, regnumque morale per apostolos in toto orbe propagavit, et per 18 saecula jam regit, propheta, rex et pontifex noster: — denique per vitam humilem, et potissimum per mortem intravit in gloriam et hominibus veniam peccatorum paravit.

c) Accedit praesens Judaeorum ac gentilium status, per Jesum adductus — talis omnino, qualem a Messia adducendum esse prophetae annuntiaverant. 1) Das Gottesreich aus Juden und Heiden — von Jesus gestiftet — steht vor unsern Augen da. 2) Die Juden — das ehemals geliebte Volk Gottes — tragen seit den Zeiten Jesu ohne Trost ihr Nationalelend; — und dauern doch fort unter so vielen und grofsen Plagen. 3) Die Berufung der Heiden fängt von den Aposteln Jesu an, und weiset durch die wohlthätigen Folgen auf Jesus den Messias hin.

§. 143.

Corollaria. I. Datur nexus propheticus revelationis:

a) In patriarchali periodo ipsum generis humani lapsum jam mox sequitur promissio futuri auxilii et praedictio Messiae, quin tamen ipsae ejusdem notae accuratius allegentur.

b) In mosaica periodo fides et praedictio Messiae conservantur, et singulae ipsius notae determinantur.

c) In christiana demum ipse eventus omnibus istis prophetiis respondens sequitur et perdurat.

II. Revelationis systema est in Christo ceu centro ad finem ultimum connexum.

III. Nexu isto prophetico veritas religionis christianae praeclare commendatur.

* Das Christenthum kündiget sich als die Erfüllung der grofsen Weissagungen an; wenn es also diese Erfüllung nicht ist, so können auch seine übrigen Gründe nicht bestehen. — Das Christenthum im ganzen Umfange beruht

1) auf Voranstalten durch 4000 Jahre mit einer langen Reihe von Lehrern, Propheten, Wundern und Weissagungen:

2) auf der Lehre, dem Charakter, und den Thaten des Stifters und auf der Geschichte seiner Introduktion;

3) auf der Ausbreitung und Fortdauer. — Wir haben also hier eine wahre moralische Weltordnung unter besonderer Leitung Gottes.

** Wenn Jesus so offenbar der Messias ist, warum nehmen ihn die Juden nicht alle an?

R. Sowohl die geistigen Juden, die ihn annehmen, als die fleischlichen, die ihn verwerfen, geben Jesu ein Zeugnifs, dafs er Messias sey, weil in beyden die Orakel der Propheten erfüllet werden.

a) Der gröfsere Theil der Nation verfehlte den wahren Sinn wegen ihres irdischen Sinnes — aber durch eigene Schuld:

b) die andern fanden den Mefsias an Jesus und hiengen ihm an bis in den Tod.

IV. Judaismus Christianismo cedat oportet:

a) Nulla afferri potest causa, quae Judaeos in spe venturi Messiae conservet, ad legem Mosaicam alliget, eosque — ad doctrinam praesertim talmudicam alliciat.

b) Sunt vero rationes gravissimae, quae Judaeos ad Christum et evangelium invitent: nam si Jesus est Messias, honor nationis, dignitas patriarcharum et gloria prophetarum elucent; — et si evangelium acceptetur, jugum suave et onus leve suscipitur.

* Ueber das Schreiben der jüdischen Hausväter in Berlin cf. Köppen „Wer ist ein Christ?“ Leipzig 1800.

V. Religio christiana vere divina est; et quisquis in ejus notitiam venerit, eandem acceptare integram, retinere fideliter, et exercere constanter tenetur.

Appendix.

Comparatio religionis Christianae cum Judaismo, Gentilismo et Muhamedanismo.

Ex hactenus dictis sequitur, religionem christianam, utpote divinitus revelatam, omnino esse acceptandam; omnemque aliam religionem, quae religioni christianae adversatur, non posse esse religionem veram et divinitus revelatam, quia Deus sua in revelatione sibi certe non adversatur. Verum ut veritas christianae religionis illustrior appareat, eam cum aliis, quae revelationem praetendunt, religionibus comparare placeat; et quidem

I.

cum Judaismo recentiori.

a) Judaismus recentior eam denotat religionem, quam Judaei post urbis et templi excidium magis ac magis contaminatam hodiedum tenent. Omnis haec religio ad tria potissimum capita reducitur. Judaei 1) religionem theoreticam et practicam in Veteri Testamento contentam profitentur. 2) De Messia doctrina eorum, etsi Jesum Nazarenum esse Messiam

communi consensu negent, una tamen non est: et inprimis circa ipsum hujus doctrinae momentum alii articulum istum inter fundamentales referunt; alii eum inter adiaphora recensent; circa personam Messiae — plerique Messiam nationalem et terrestrem, pauciores spiritualem exspectant; alii duplicem discernunt Messiam, unum Gentium, alterum Judaeorum, vel sorte unum humilem filium Joseph ex Ephraim, alium sublimem ex familia Davidis: circa adventum tenent aliqui, Messiam jam advenisse, et vel in horto Eden capillis foeminae ligatum, vel Romae inter leprosos, donec ab Elia inauguretur, vel in alio loco incerto morari; alii eum advenisse negant, varias dilationis hujus caussas assignantes; alii demum tempus haud esse determinatum censent, et anathema intentant omnibus, qui illud computare velint. 3) Habent insuper praeter sacram veteris testamenti scripturam in suo Talmude plura doctrinae capita, quae tum ex jactata Patrum traditione, tum ex cabbalistica sacrae scripturae interpretatione desumta, et parum sana ac frugifera, imo non raro superstitiosa, aut omnino impia sunt. Vide circa Judaismum Baumgarten „Geschichte der Religionspartheyen.“ Hugo Grotius „de verit. rel. christ.“ Staeudlin: „Geschichte der Moral.“ etc. Eisenmenger: „Entdecktes Judenthum.“

b) Ut justum de Judaismo recentiori judicium feratur, observo, in eo quidem magnam verae religionis partem contineri, doctrinam nempe veteris testamenti tum theoreticam, tum practicam; is tamen Christianismo locum cedere debet.

1) Inprimis enim doctrina ejus de Messia est chaos opinionum, prophetis et antiquae

patrum fidei, et sibi ipsi repugnantium. Quaerere licet ex Judaeis: Cur promissio Messiae non est impleta? — vel: In quonam alio praeter Jesum Nazarenum ea fuit impleta? — Quare non suscipitur Jesus Nazarenus? Nihil sane obstat: humilis enim sors Messiae a prophetis etiam fuit praedicta, exhibita in viris magnis, et effectibus insignibus fuit foecunda; regnum Jesu Christi morale regno terreno, quale Judaei volunt, praestantius est, et a prophetis fuit praenuntiatum. Gloriosum Messiae adventum quod attinet, veniet Christus in gloria sua in fine mundi ad judicandum genus humanum. cf. Schwarz. l. c. III. tom. p. 75.

2) Opinio Judaeorum de perdurante adhuc legis mosaicae obligatione repugnat eorum prophetis, qui legem mosaicam abrogatum iri praedixerunt; historiae, quae abrogationem istam a Jesu factam esse ostendit; et voluntati divinae, quae impossibilia non jubet, cum utique lex mosaica — extra Palaestinam — templo jam diruto, — tribu Levi et familia Aaronica non amplius cognoscibili etc. exerceri haud queat.

3) Doctrina eorum talmudica constat arbitrariis sine omni teste authentico traditionibus; — ridiculis et parum sanis opinionibus, et perversis sacrae scripturae explicationibus, quarum auctores nullis divinae missionis characteribus gaudent

II.

eum Gentilismo.

a) Gentilismus ea est religionis forma, quae a fide et conceptu unius veri Dei aberrat, et cultum Dei genuinum non habet. 1) Crassior gen-

tilismus vel plures deos (polytheismus) statuit, vel omnino meris creaturis divinos honores tribuit (idololatria) nempe Fetischismus, in Aegypto, et Graecia, qui res terrestres adorat v. g. flumina, animalia etc.; deinde Magismus, qui Deum in sole, luna et astris quaerit, ortus in Media, Chaldaea et Persia, indeque ad alias gentes propagatus: demum Sabaeismus, qui homines inter deos recenset, vel virtutes occultas in imaginibus colit, et in Africa, Graecia, ac Latio viguit. 2) Cultus gentilium divinus sacrificia primo rerum, deinde animalium, ac demum etiam hominum; lustrationes et purificationes, quibus vis expiandi maculas animi tribuebatur; preces, quibus dii compelli et ad vota, saepe mala, complenda adigi credebantur; — et festa continebat, quae vel potando et saltando, vel ludis gladiatoriis, vel vaga libidine non raro celebrabantur.

b) Gentilismum, etsi is prima religionis elementa contineat, et non semper, nec ubique aeque pravus fuerit, coram tribunali rationis non subsistere facile quivis intelligit, qui perpenderit, 1) doctrinam ejus carere fide et conceptu unius veri Dei, creatoris et rectoris; eam circa finem creationis, circa alteram vitam, circa providentiam etc. aut tenuem, aut vagam, aut oppido falsam fuisse; 2) cultum autem mere externum, et eum quidem vel saltem superstitiosum, vel omnino tum obscoenum, tum crudelem fuisse. Unde etiam ubicumque lux evangelii fulgere coepit, errores et tenebras gentilismi effugavit. 3) Equidem Minos Cretae, Numa Romae, et Zaleucus Spartae legislator, commercium cum numine jactabant; nullus autem eorum signis authenticis probavit. Prodigia autem et oracula, quae

inter Gentiles circumferebantur, veritate aut historica, aut philosophica destituuntur, cum religione vera nexum non habent, et ab ipsis gentilibus sapientioribus deridebantur.

* Adversus insaniam idolatriae sacra scriptura multis locis pugnat Isai. XLII. Jer. X. Ps. CXIII. CXXXIII. Sap. XV. Modum agendi cum gentilibus ostendit S. Paulus Act. XIV. et XVII. Apologetae christiani, S. Justinus Tertullianus, Origenes adv. Celsum, Eusebius in praep. et dem. evang. Lactantius de div. instit. Arnobius adv. gent. S. Augustinus de civ. Dei etc. bene versati sunt hac in provincia, quos S. Thomas secutus est. cf. Plank: Einleit. in die Theol. I. Th.

c) Specialem mentionem meretur gentilismus Sinensium, Indorum et Persarum, quos Voltairius cum suis asseclis magistros purae et verae religionis extollit.

1) De Sinensium historia et doctrina eruditi post multos labores nondum consentiunt. Laudatur Confucius, qui quingentis ante Christum annis meliora fidei capita, et morum praecepta Sinensibus tradidisse fertur. Verum in ipso libro symbolico Sinensium traditur polytheismus; multis erroribus religio illorum est infecta; et expositio ac trucidatio infantium in Sina viget, uti de Guines, rerum Sinensium peritissimus, testatur.

2) Apud Indos tres libri symbolici laudantur, nempe Vedam, octodecim Puranam, seu dicta Sapientum, et Schaster (Esour — Vedam seu commentarius in Vedam). Vetus Indorum religio multis fabulis interpolata fuit: recentior meliorem quidem continet doctrinam, ex commercio cum Judaeis

et praesertim cum Christianis etc. oriundam; ei tamen polytheismus, idololatria, et cultus deorum non tantum vanus, sed etiam turpis et crudelis adjunguntur. cf. Kleucker: die Brachmanische Religion: et Staeudlin im Magazine für Religion, Moral und Kirchengeschichte.

3) Persas quod spectat, ii antiquitus soli et lunae sacrificarunt, et dualismo adhaeserunt etc. recentiores autem 600 annis ante Christum a Zoroastro, cujus historia satis eliquata non est, meliorem hauserunt doctrinam, defectibus tamen et erroribus laborantem, uti ex cl. Kleucher discimus, qui librum Persarum symbolicum „Zenda — Vesta“ edidit“

III.

cum Muhamedanismo.

a) Muhamedanismus quum magnam mundi partem inde a seculo VII. occupaverit, et non solum a comite de Boulainvilliers et Voltairio multis encomiis depraedicetur, sed etiam ab acatholicis quibusdam religioni catholicae saltem in aliquibus doctrinae capitibus praeferatur, specialem exigit mentionem. 1) Muhamed Mekkae in Arabia circa annum 569 parentibus nobilibus quidem, sed pauperibus natus post peregrinationes, quas fecerat, viduae cujusdam divitis, Khadidschah, rem familiarem administravit, et annos circiter 25 natus matrimonium cum eadem vidua contraxit. Anno aetatis suae 40 se a Gabriele ad religionem Abrahamidicam restaurandam divinitus vocatum fuisse dixit, et post triennium vocationem suam cognatis suis patefacere, et munus restauratoris exordiri coepit — parvo successu — ita, ut anno 622

die

die 16 Martii Mekka Medinam aufugere cogeretur, ubi plures nactus est asseclas. Ibi munus propheticum publice auspicatus est majori cum eventu, sed modo singulari: dixit enim, se divinitus esse vocatum, ut cum exercitu idololatriam prosterneret. Unde, princeps proclamatus, anno 629 Mekkam expugnavit, Arabiam sibi subjecit, et principes exteros, ut ad suam transirent religionem, invitavit. Anno 632 in Syriam profecturus moritur, et rem ipsius potissimum Abubekhr prosequitur.

2) Liber Muhamedanorum symbolicus est Coran, sive Alcoran, quem divinum dicunt; cui multi addunt Sonnam, seu Sunnam, id est, legem traditam. Alcoran constat 114 Suris, sive capitibus, et partim praecepta, partim narrationes historicas continet; Sonna varias relationes exhibet vel ad dicta, vel ad facta Muhamedis pertinentes. Doctrina Alcorani theoretica unitatem Dei urget, centum et quatuor revelationes allegat, quas Deus inde ab Adamo dedisse dicitur, maxime per Mosen, Christum et Muhamedem, pentateuchi et evangelii reformatorem; judicium divinum statuit, quod per 50,000 annos duret etc. Practica doctrina fidem in Deum unum et Muhamedem, orationem, jejunium, circumcisionem, purificationes multas, charitatem erga proximos, nisi sint adversarii religionis, poenitentiam, bellum pro Muhamedanismo etc. praecipit.

b) Muhamed constanter quidem asseruit, se esse prophetam, divinitus missum ad Mosaismum et Christianismum emendandum, et perficiendum; et ad

religionem veram restaurandam. Verum haec ipsius assertio sustineri non potest.

1) Quod si enim Muhamedanismus ad internos divinae revelationis characteres exigatur, eum non esse revelatum a Deo, facile intelligitur, quia veritatibus, quae in pentateucho et evangelio clarius continentur, multa sunt admixta, et quidem in parte theoretica — partim absurda — de despotismo Dei, de paradiso nimis sensibili, de fato libertati inimico, quibus fundamentum omnis religionis evertitur; — partim falsa, quibus historia patriarcharum, Mosis et Christi corrumpitur; — in parte autem practica amor Dei in timorem servilem mutatur, et amor proximi ad Muhamedanos restringitur; emendatio animi, et virtus vix attingitur, ritibus autem externis major efficacia tribuitur; ceremoniae judaicae renovantur, et sensualitati fomenta praebentur, polygamia permittitur etc.

2) Ad characteres externos, qui prophetae et restauratori religionis divinae suffragari deberent, si attendimus, primo quae de historia et charactere Muhamedis narrantur, nihil habent, unde divinam ejus missionem agnoscere liceret, ut potius fraudulentiae indicia occurrant in arrepto imperio, et in libidine, quam a Deo sibi permissam fuisse dixerat: deinde miracula ipse Muhamed pro probanda missione sua allegare noluit; quae autem multis post Muhamedem seculis ab arabicis scriptoribus referuntur, auctoritate historica destituuntur, et pleraque eorum aperte fabulam sapiunt: demum ad prophetias

rursus ipse provocare recusavit; ea etiam, quae ipse de se, et de suis praedixerat, eventu caruerunt.

3) Propagatio Muhamedanismi intelligi potest tum ex qualitate religionis, quae sensualitati favebat; tum ex conditione hominum, qui ad factiones erant proclives; tum ex conditione temporis, in quo status politicus et religiosus admodum turbidus erat; praeprimis autem ex mediis, quibus Muhamedanismus fuit propagatus, armis nempe et promissione praedae, honoris et paradisi etc. cf. Paley: Uebersicht der Beweise für das Christenthum: Leipzig 1797. S. 468 — 488.

Pars III.

De ecclesia divinitus instituta.

§. 144.

Christus non solum religionem docuit, sed etiam ecclesiam instituit ad conservandam et promovendam religionem suam. Qua de re quum praecipuae catholicos inter, et acatholicos vigeant controversiae, oportet a) originarium ecclesiae a Christo institutae statum exponere,

b) deinde ejusdem perdurationem apud catholicos, ac

c) denique defectionem apud acatholicos ostendere.

* Coetus, qui religionem christianam profitentur, admodum inter se dissentiunt. 1) Sociniani rationi pene omnia tribuunt: 2) Protestantes ex coetu Lutheri et Calvini, saltem antiquiores, divinam s. scripturae auctoritatem, rejecta traditionis et ecclesiae auctoritate, agnoscunt: 3) Graeci et Catholici s. scripturam, traditionem et ecclesiam venerantur; illi tamen aequalem omnium ecclesiarum auctoritatem, hi vero praerogativam ecclesiae Romanae defendunt. Quo quidem ex dissensu necessitas ulterioris de re christiana examinis facile colligitur.

** Data divisio vindicatur ex eo, quia in prima sectione statuitur theoria, quae dein sine partium studio praecipuis christianorum coetibus applicatur, ut jam constet, quisnam coetus eidem conformis sit vel difformis.

*** Notitiae literariae. 1) Substantia hujus argumenti in symbolo apostolico et N. C. continetur, et a Patribus, S. Irenaeo, Tertulliano, et S. Vincentio Lirinensi magis explicatur. 2. Majora ei incrementa accessere ex controversiis, quas Catholici contra haereticos et schismaticos, et maxime Graecos gerere debuerunt. 3. Praecipue autem post tentatam saeculo XVI. reformationem argumentum hoc excoli coepit, et quidem ut Bellarmini, Fratrum Wallenburgicorum, Bossueti et Vinc. Gotti opera omittam, nostro aevo Stattler „Dem. cath. Wahres Jerusalem“ Plan zur Vereinigung etc. Wiest „Dem. rel. cath.“ Zimmer, „Veritas cath. rel.“ Beda Mayer, Vertheidigung der nat. christ. und kath. Rel.“ Oberthür „Idea biblica ecclesiae Dei“, Brandmeyer „Principia catholica introd. in univ. theol.“ Sambuga „Prüfung der Einleitung der Schrift: Neue Erde, neuer Himmel: „Ueber den Philosophismus“ Das Wesen der Kirche: Abbas Max. Prechtl, „Friedensworte und Friedensbenehmen etc. Freindaller Handbuch zum gleichförmigen Unterricht angehender Akatholiken.“ Droste „über Kirche und Staat“ cum laude et fructu hocce argumentum tractarunt. 4. Inter adversarios nostros — praeter alios — memorari debent Mendelsohn, Stephani, Freykirch, Blau etc.

Caput I.

Originarius ecclesiae Christi status.

§. 145.

Originarium ecclesiae Christi statum rite expositurі, a) praemittimus principia, quae in exponendo isto statu sequi oporteat; tum b) facta ipsa, quibus iste constitutus est, exponimus; ac demum c) indolem ejus magis determinamus.

* Quum nostro aevo liberiores de statu ecclesiae agitentur quaestiones non inter Protestantes solum, sed et inter Catholicos, opus sane est firmis ac propriis principiis, quibus utraque disputantium pars acquiescere debeat.

Sectio I.

Principia praevia.

§. 146.

Primum et constitutivum de originario ecclesiae christianae statu principium est voluntas ac finis Christi. Agitur enim de ecclesia a Christo instituta, non autem de ecclesia operationis et voluntatis humanae instituenda. Ad voluntatem igitur Christi est recurrendum, qui divina utique pollet auctoritate, sive dum religionem docet, sive dum ecclesiae statum determinat.

* Non excluditur ratio hocce in negotio; sed considerans omnia et singula, quae Christus de ecclesia statuit, eadem Deo, homini et fini ultimo convenientia esse intelligit; et quum ipsa determinando et perficiendo genuino ecclesiae statui imparem se agnoscat, libenter acceptat, quae Christus instituit.

§. 147.

Alterum principium, et illud quidem criticum, statuit, documentum authenticum, ex quo voluntas ac finis Christi cognosci queat, esse scripturam N. T. et in ipsa s. scriptura eos potissimum Christi sermones esse attendendos, qui spectato tenore obvio ad statum ecclesiae pertinent.

a) „Non audiamus", inquit S. Augustinus l. II. de unit. „haec dico, haec dicis, sed haec dicit Christus. Sunt certi libri, quorum auctoritati utrique credimus: ibi quaeramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram."

* Scripturam heic solum pro authentica assumimus, quia divina ejus auctoritas nondum est ostensa.

b) Sermones, quos s. scriptura Christo tribuit, actu ab ipso Christo prolati sunt, adeoque divinam habent auctoritatem, etsi scriptoribus humana tantum auctoritas competat; nam Christus divina pollet auctoritate.

* Id ipsum declarari potest exemplo scriptoris authentici, qui legem vel imperatoris, vel pontificis refert.

§. 148.

Principium tertium, seu hermeneuticum praecipit, sensum sermonum Christi determinandum esse

a) juxta regulas communes interpretationis grammaticalis et historicae. — Nam Christus, ut ab hominibus possit intelligi, humano modo locutus est. In specie ex sapientia et bonitate Christi statuere licet, 1) illos Christi sermones, quibus praecipua religionis suae capita tradit, aut claros esse, ut intelligi et servari queant, aut interpretem eorum adesse, cujus effato sensus determinetur: 2) eos autem sermones, qui de statu ecclesiae agunt, per se esse claros, quia tales sermones, cum de interprete quaestio sit, non aliunde, nisi ex nativa verborum significatione et ex adjunctis explicari et intelligi possunt.

* Tortas ergo talium sermonum explicationes vitare, et sensum naturalem ac obvium sequi oportet.

b) juxta sensum 1) tum Apostolorum, qui voluntatem Christi et optime noverant, et sancte servabant, tum 2) primorum Christianorum, qui ab Apostolis instituti, mentem Christi et Apostolorum tum agnoverunt tum servarunt.

* Sensus Apostolorum tam ex eorum declarationibus, quam ex eorum factis colligitur.

** Quod si Apostoli ipsi referunt, uni ipsorum concessam esse praerogativam, majori fide digni sunt, utpote contra se testantes.

*** Hactenus dicta illustrari possunt exemplo principis, qui regioni, cujus regimen auspicatur, novam formam tribuit.

Sectio II.

Facta Christi ad statum ecclesiae spectantia.

§. 149.

Juxta haec principia colligimus facta, quae

a) ad existentiam et ambitum ecclesiae,

b) tum ad speciem ejus, ac demum

c) ad formam et modum imperii spectant.

* In ipsa tractatione simplicem s. scripturae doctrinam exponimus, et pauca de notionibus et principiis juris socialis et de idiomate ecclesiae subjungimus.

§. 150.

Christus inprimis voluit, ut omnes, qui sufficientem de Evangelio notitiam haberent, religionem ab ipso traditam non solum animo suscipiant, et opere exerceant, sed externa etiam professione contestentur, ac proin nexu interno et externo uniantur.

a) Christus enim religionem non modo tanquam doctor annuntiavit; sed tanquam supremus regni moralis princeps praescripsit, et quidem religionem theoreticam Marc. XVI, 15. „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, con-

demnabitur :“ et practicam Mt. XXVIII, 18 sq. „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes (discipulos facite) . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.“

* Error, 1) qui evangelium meris constare promissionibus putat, ex perversa S. Pauli, dum christianos a lege mosaica liberos pronuntiat, interpretatione oritur, et incautis Lutheri formulis propagatus, aperte nimis evangelio et rationi repugnat, quam ut ullum hodie asseclam habeat: 2) qui christianismum practicum extollit, ut theoreticum deprimat, separat, quae et res ipsa, et Christus conjungit; pietas enim christiana, ceu fructus, non nisi ex fide christiana, ceu radice nascitur.

b) Externam professionem 1) aperte Christus ipse exigit Luc. XII, 8, 9. „Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.“ cf. Mt. X, 32. et Marc. VIII, 38. Unde et Apostoli Christum intrepide confitentur, et S. Paulus Rom. X, 10 scribit: „Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.“ Ipsa etiam indoles religionis inter homines exigit, ut signis externis conspicua fiat: 2) dein in specie fidem in Christum receptione baptismi profiteri, et religionem christianam celebratione s. coenae recolere oportet: baptismum enim Christus ab omnibus, qui in ipsum crederent, ceu signum fidei externum suscipi voluit, quia Marc. XVI, 15 et Mt. XXVIII, 19. mandato praedicationis mox mandatum baptismi subjungit; unde ii, qui sermonem receperunt, mox baptizati fuerunt Act. II, 41. cf. Act. VIII, 36

sqq. et XIX, 5. et S. Paulus I. Cor. XII, 13. scribit: „in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.“ Sacram autem coenam Christus, initium novi testamenti agens, Mt. XXVI, 28 a fidelibus suis tum in memoriam sui Luc. XXII, 19 tum in signum mutui nexus et amoris I. Cor. X, 17. perpetuo celebrari voluit: id quod etiam praxis fidelium Hebr. XIII, 10. Act. II, 46 et I. Cor. XI. 21 confirmat.

c) Ergo Christus fideles suos non interno tantum fidei et amoris, sed externo etiam professionis et sacrorum actuum vinculo unitos esse voluit.

§. 151.

Quod si ad hanc s. scripturae doctrinam principia juris socialis adplicemus, manifestum est, Christum societatem religiosam et visibilem instituisse.

a) Societas 1) in genere est certus numerus personarum ad finem aliquem cummunem junctis viribus consectandum obligatione communi devinctarum: 2) in specie dividi potest

ratione originis in voluntariam, quae pacto sociali, et legalem, quae lege superioris instituitur:

ratione finis in civilem, quae pro libertate externa, et religiosam, quae pro libertate interna initur:

ratione status in visibilem, si socii signis legalibus agnosci et dignosci queant, et in invisibilem, si talia signa non adsint.

b) Christus jam instituit 1) societatem; determinavit enim numerum personarum, omnes nempe auctoritatis suae conscios; dein communem finem et media, nimirum salutem spiritualem professione et exercitio religionis obtinendam; et demum communem obligationem ejusdem fidei, charitatis et cultus externi. Unde coetus christianorum societas I. Cor. I, 9. corpus I. Cor. X, 17 et grex Joann. X, 16 vocatur.

2) societatem religiosam: ipse enim professus est Joann. XVIII, 36 regnum suum non esse de hoc mundo: et finem spiritualem, qui in alteram vitam perduret, ac religiosam dedit constitutionem. Unde coetus christianorum regnum Dei — Christi — coelorum dicitur, et regno satanae opponitur:

3) societatem visibilem; baptismum enim, quo novi cives initiarentur, et sacram coenam, per quam unio inter socios conservaretur, et finis societatis promoveretur, praescripsit: Unde coetus christianorum vocatur „civitas supra montem posita Mtth. V, 14. domus Dei" I. Tim. III, 15 et „candelabrum Apoc. I.

* Gabler und Plank scheinen noch die alte Meinung der Protestanten zu behaupten, dafs Christus keine eigene, für sich bestehende, und von andern Kultusformen abgesonderte Gesellschaft durch deutliche Vorschriften bestimmt; sondern nur den Keim zu einer innern Religion, ohne Absonderung von dem äufsern jüdischen Verhaltnifs, gegeben und die Entwickelung desselben den Zeitumständen und der fortschreitenden Kultur der Apostel überlassen habe. Eine Behauptung, die nicht nur dem Geiste und der Bestimmung des Christenthums, sondern auch den

deutlichen Erklärungen Jesu zuwider ist, und ganz wegfallt, wenn man die ursprüngliche Bestimmung von der Ausführung unterscheidet.

** Objiciunt: 1) Primi christiani et apostoli templo Jerosolymitano adhuc adhaerebant. R. Societas non a loco, sed a fine et legibus pendet. Christus secessionem jamjam indicavit ante mortem, in coena ultima explicavit, et praesertim in ultimis ante ascensionem mandatis ad Apostolos praedixit, ruinam insuper templi vaticinatus. Apostoli autem in templo et synagogis verbum Dei annuntiant, et licet synagogam cum honore sepeliant, stante tamen adhuc templo separatos coetus jam instituunt.

2) Separatio pro externis tantum eventibus propter persecutiones, propter gentium Apostolos, et propter ruinam templi facta est, ubi primum res christiana ceu nova doctrina et ceu specialis societas apparuit. R. Omnia ista adjuncta executionem consilii divini, quod Christus post prophetas promulgaverat, et Apostoli successive magis intellexerunt, promovebant; unde Apostoli etiam ad vaticinia prophetarum, et ad mandatum Christi provocarunt.

3) Institutum Christi provisorium tantum est, usquedum theocratia rationis ubique vigeat. R. Uti religio, ita etiam constitutio Christi a divina ipsius auctoritate venit, a qua proin, nisi divina afferatur declaratio, recedere nefas est. Juxta effata divina oeconomia rei christianae usque ad finem mundi durat, et in sequenti primum periodo cessat.

§. 152.

Juxta idioma christianorum Christus ecclesiam instituit.

a) Ecclesia 1) etymologice convocationem seu coetum hominum denotat vel confusum Act.

XIX, 32 vel rite congregatum ibid. 39: 2) in sensu biblico coetum religiosum et visibilem: ita Christus Mtth. XVI, 18 eandem vocem adhibet, et Apostoli eadem voce coetum christianorum universalem Act. XX, 28. I. Tim. III, 15. vel particularem Apoc. I. indicant, et S. Paulus Hebr. XII, 33. de coelesti ecclesia scribit. 3) in sensu christianorum ecclesia est societas religiosa et visibilis doctrinam et legem divinitus datam servans.

b) Christus ecclesiam fundavit, quia societatem religiosam et visibilem instituit; unde et Christus dicitur conditor, et caput ecclesiae Eph. II, 21 ot IV, 15 et Dominus Act. XX, 28. Quod ut clarius pateat, juvat statum ecclesiae considerare

1) tempore Christi; qui multos ex populo Joann. VII, 31, 39, 49. aliquos ex principibus Joann. XII, 42 discipulos nactus est, Apostolos selegit, et septuaginta duos misit, Mtth. XVI. ecclesiam a se aedificandam praedixit, in ultima coena Novum Testamentum instituit, et post resurrectionem Apostolos ad praedicandum Evangelium et ad baptizandos fideles misit:

2) tempore Apostolorum, qui accepto Spiritu S. in die pentecostes, sicut Christus mandaverat, solenniter Evangelium Jerololymis annuntiant, et inde in totum orbem disperguntur, particulares coetus inter gentes etiam colligunt, iisque nomen, non suum, sed Christi imponunt I. Cor. III, 4. sqq. et legem Mosaicam abrogatam declarant Act. XV, 28 eamque abrogationem ex oraculis prophetarum, atque ex imper-

fectione legis Mosaicae Gal. IV,; sqq. Hebr. VIII, 1 sqq. probant:

3) proximo post Apostolos tempore, quo ecclesia inter ipsas persecutiones magis dilatata, attamen unita permansit et crevit.

§. 153.

Ecclesiae suae ambitum Christus ita determinavit, ut eam voluerit esse universalem.

a) Universalis dicitur ecclesia, in quantum omnes omnium locorum et omnium temporum homines complecti possit ac debeat sublato Judaeos inter et gentiles discrimine.

b) Talis jam est ecclesia christiana; nam 1) ipsa ad universalismum apta est, quia doctrinae et instituta ecclesiae christianae nullatenus ad certam tantum hominum, regionum aut temporum conditionem alligantur: sed semper et ubique vigere possunt, et teste historia etiam feliciter viguerunt:

2) Christus autem voluntatem suam Joan. IV, 20 — 24 coram muliere Samaritana satis indicavit et aperte declaravit Matth. XXVIII, 19 et Marc. XVI, 15 et Apostoli tum factis tum verbis comprobarunt:

3) Ipsa denique ratio a Deo, aeterno omnium hominum patre, universalem revelationem exspectat, et a Christo datam grata acceptat.

* Objiciunt: 1) Kant. „Id tantum universale fieri potest, quod in ratione est fundatum. R. Non ratio, sed auctoritas sufficiens est criterium omnibus, et praesertim populo, conveniens et satisfaciens.

2) Fragmentista: Neque per miracula, neque per scripturam, neque per traditionem ecclesia Christi fieri potest universalis. R. Historia testatur, religionem christianam per ista media ubivis locorum propagari et conservari potuisse.

3) Ewald: Religio christiana non est universalis: ergo etiam Deus eam non vult esse universalem. R. Religio Christi est res moralis, quae successsive tantum propagari debet et potest salva humana libertate. Deus beneficia sua offert, sed invitis non obtrudit. Cur ad aliquos populos lux evangelii nondum sit perlata, plene explicare non possumus; cum solus Deus noverit tempora, et omnia, quae heic concurrere possunt, adjuncta. Deus vult, ut omnes legem naturalem et agnoscant, et exequantur; et tamen multi eam nec agnoscunt, nec exequuntur.

§. 154.

Simul tamen unam voluit Christus esse ecclesiam suam.

a) Unitas socialis in consensu sociorum circa media ad finem consistit. Itaque 1) unitas ecclesiae christianae requirit, ut pro omnibus omnium temporum et locorum fidelibus una valeat in doctrina fidei et morum et in cultu divino norma. Unde 2) unitas christianae ecclesiae est tum interna — in fide et charitate seu unione animorum; tum externa in uniformi doctrinae christianae professione, et in uniformi cultu externo, divina ordinatione constituto.

* Unitas in substantialibus cum varietate in accidentalibus; et objectiva, ut ajunt, invariabilitas cum subjectiva perfectibilitate combinari potest.

b) Hanc

b) Hanc omnimodam unitatem

1) Christus ipse exigit, qui divina docens auctoritate, et universalem fundans ecclesiam voluit, ut totum suum Evangelium ubique praedicaretur et a suis fidelibus credatur; ut omnia mandata sua serventur, et fideles christiani ex charitate, ceu ex nota characteristica Jo. XIII, 34, 35. dignoscantur. Ita solenniter jubet Marci XVI. „Praedicate evangelium (doctrinam ab ipsomet traditam) „omni creaturae. Qui crediderit . . . salvus erit.“ et Mt. XXVIII. „Euntes docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.“ Idem ipse voluit, ut fideles intrepide et constanter doctrinam ipsius profiteantur. Luc. IX, 26. „Qui me erubuerit, et meos sermones; hunc Filius hominis erubescet.“ etc. et ut fidem susceptione baptismi profiteantur, et charitatem ac unionem suam in una Domini sui mensa et manifestent et foveant. Hanc fidei potissimum et animorum unitatem in solenni sua ad Patrem oratione commendat Joann. XVII, 17. „Sanctifica eos in veritate“ (in agnitione, et observatione doctrinae divinitus allatae) „Sermo tuus veritas est,“ et 20 sqq. Unde et ecclesiam suam ovili uni Jo. X, 16 et uni aedificio Mtth. XVI, 18 comparat.

* Quod Christus singulas doctrinas suas a nobis recipi velit, ex ea, quam Joan. VI, 60 — 66. observat, agendi ratione intelligitur.

2) Apostoli inprimis omnimodam unitatem, et praesertim quidem in una unius doctrinae evangelicae fide urgent: ita S. Paulus Eph. IV, 3 — 6. scribit: „Soliciti (estote) „servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus,

sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.“ Ad quam unitatem obtinendam ministros diversos a Christo esse institutos v. 11 — 15. docet: id quod similitudine corporis Eph. I, 22. Rom. XII, 3 — 5 et I. Cor. XII, 15. et aedificii Eph. II, 19. sq. comprobat: et in epistolis suis Rom. Gal. et I. Cor. XIII — X. christianos sive ex judaismo sive ex gentilismo conversos admonet, ut repudiatis omnibus unam Evangelii legem sequantur, et deposito mutuo odio, fraterno se complectantur amore.

Deinde quamcumque in doctrina dissensionem, et ortam inde animorum discordiam graviter reprobant: ita S. Paulus Corinthios, quorum alii alios sequebantur doctores, interrogat: „Divisus est Christus?“ et I. Cor. III, 4. sq. Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis etc. et v. 11. subjungit: „Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus:“ unde I, 10. „Obsecro, ait, vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia:“ pariter Galatas reprehendit Gal. I, 6. sq. „Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit etc. et V, 2. „Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.“

Denique nihil prius habent, quam ut omnis dissensus omnisque novitas et error praecaveatur et evitetur. Hebr. XIII, 8. sq. „Jesus Christus heri et hodie: ipse et in secula. Doctrinis variis, et peregrinis nolite abduci.“ I. Tim 3 — 7., „Rogavi te, ut .... denunciares quibusdam, ne aliter docerent, etc. et VI, 20, 21. „O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.“ item II. Tim. II, 16 — 18. et Tit. III, 10, 11. „Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita: sciens, quia subversus est . . et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.“ I. Jo. II, 18 — 26. „Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat .... Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.“ cf. II. Joann. 9. 10.

* Unde hunc unitatis spiritum in Clemente Romano, in Ignatio, unitatis apostolo, in Polycarpo, in Irenaeo, et in sensu primitivae ecclesiae, ad regulam fidei a majoribus acceptam provocantis, observamus.

3) Ipsa etiam ratio hanc unitatis legem statuit: nam primo primus et ultimus, ad quem ratio tendit, scopus unitas est: deinde universalis esse non potest religio et ecclesia Christi, nisi fuerit una; demum teste etiam historia diversitas in fide et cultu divino sinceram animorum conjunctionem impedit et turbat; sicuti enim similitudo opinionum et morum homines unit, ita dissimilitudo separat et in religione tristes effectus producit. Praeterea conjunctio animorum, quam omnes, etiam acatholici, requirunt, unitatem fidei supponit, quia diversitas symboli sicut dissensus, ita saepe odii tessera est; simulque ex-

ternam exigit unitatem; nam si altare contra altare erigitur, scinduntur animi, et sententiae, ac non raro ipsa civitas turbatur.

* Objiciunt 1) multi post Petrum Jurieu: „Systema verae ecclesiae.“ quosdam duntaxat religionis christianae articulos, quos fundamentales vocant, ab omnibus esse credendos, reliquos autem, non fundamentales, cujusvis arbitrio relictos esse ita, ut eos vel ignorare, et negligere, vel omnino inficiari liceat. ℟. Equidem Christus et Apostoli quaedam capita ipsis jam neophytis, alia dein perfectioribus tradiderunt; et ipsa etiam ecclesia fatetur, quod primarii quidam articuli ab omnibus explicite sint credendi, et reliquorum fides implicita sufficiat: sed nec Christus, nec Apostoli, nec ecclesia ullibi permittunt talem libertatem, ut articulum, quem divinitus revelatum noverimus, negligere vel inficiari fas sit. Et profecto quinam sunt isti articuli fundamentales? ipsi distinctionis istius patroni in illis assignandis mire inter se discrepant. Quis jam in tali dissensu eam sibi vindicabit auctoritatem, cui reliqui assurgere et debeant, et tuto possint? Circa religionem christianam, utpote divinitus datam, pro lubitu non licet seligere, quae credere, et quae non credere placeat: sed quidquid a Deo revelatum esse constat, id etiam ab omnibus fidelibus divina fide est acceptandum. Ita etiam subditis civitatis nullibi licet, codicis civilis leges alias recipere ceu observandas, alias negligere ceu tales, quae pro libitu vel observari, vel non observari possint. cf. Klüpfel tom. I. et Mennais: Ueber Gleichgültigkeit in der Religion.

2) Alii post Semlerum dicunt, quod distinguendum sit religionem publicam inter, et privatam; quod publica religio quamdam quidem uniformitatem et stabilitatem pro certo quodam tempore ha-

bere debeat; quod autem privata religio cuivis libera esse debeat, et varia ac varia esse possit. R. In re christiana privata religio a publica dissentire non debet; sed quidquid Christus per Apostolos ubique terrarum praedicari jussit, id omne et solum christiani interna fide privatim credere, et unanimi consensu publice profiteri debent. Ingenue haud agit, qui symbolum publicum externe profitetur, interne aliter credens. Religio privata libera quidem est ita, ut nemo auctoritate mere humana ad assensum praestandum adigi possit; divinae autem auctoritati credere oportet. Varietates religionis privatae in accidentalibus tantum locum habere possunt. In publica dein religione talis mutatio fieri non potest, ut nunc adprobentur, quae antea fuerint rejecta, et vicissim; Christus enim omni tempore idem est, via, veritas et vita; et veritatem, quae in se jam est invariabilis, divinitus manifestatam mutare nefas est.

3) Thomas Freykirch asserit, unitatem non esse necessariam, quia moralitas fide paucorum dogmatum sustentari possit, et quia varietas ad pulchritudinem mundi moralis pertineat. R. Christus unitatem exigit. Non licet ergo nobis plus vel minus exigere. Ipsa etiam religio naturalis unitate pollere debet. Christus non minus fidem, quam virtutem et pietatem requirit: deinde vera virtus a motivis pendet; doctrinae autem christianae motiva suggerunt; ergo doctrinas istas negligere non licet; vis enim unita fortior: demum ubi unitas fidei deest, unio etiam animorum periclitatur. Diversitas circa doctrinam, ubi de veritate agitur, non pulchritudinem, sed defectum innuit: sententiae enim sibi oppositae simul verae esse non possunt.

4) Unitas — praesertim circa doctrinas positivas — impossibilis est, quia non unus est in omnibus hominibus cogitandi modus, nec similis semper

culturae intellectualis gradus. R. Ipsa religio naturalis in doctrinis suis unitatem requirit; et sane circa quasdam veritates omnes consentiunt duce natura; eodem modo omnes, qui de divina Christi auctoritate certiores sunt redditi, in doctrinis a Christo promulgatis propter auctoritatem ipsius consentire possunt.

5) Unitas fidei inutilis est et formularis. R. Fides christiana in ipso interno assensu doctrinis rite cognitis praestito consistit ob agnitam Christi auctoritatem; non autem in mera formulae alicujus recitatione. Deinde unitas fidei animos etiam unit, et amorem fovet.

6) Unitas nociva est, a) quia examen de veritate religionis, et progressus in religione impediuntur, b) quia libertas conscientiae violatur. R. a) Unitas fidei, per auctoritatem sufficientem stabilita, examen et firmam de religiosis doctrinis cognitionem adjuvat: et rationem, ne in sua speculatione ad errores rapiatur, cohibet. Porro stante etiam una ejusdem fidei norma amplus adhuc progressui nostro patet campus tum in perficienda religionis cognitione quoad materiam et formam, tum in religione exercenda. b) Libertas conscientiae debet esse ordinata, non autem licentia vaga: et sicuti Deus eidem suos limites posuit per rationem, ita eidem limites ponere potest per revelationem.

§. 155.

Primum jam Christi factum, nempe quod ipse ecclesiam universalem, simul tamen unam fundaverit, adjunctis reflexionibus illustrare juvat.

I. Finis ecclesiae Christi alius non est, quam maxima religiosae moralitatis et felicitatis restauratio

communi studio juxta Evangelium procuranda; ad quam proxime doctrinae fidei et morum, remote instituta liturgica conducunt.

II. Ecclesia Christi nova est, utpote diversa ab ecclesia a) universali naturali per legem rationis constituta, 1) origine, 2) mediis:

b) positiva, tam patriarchali primum universali inter Adamitas et Noachidas, dein speciali inter Abrahamidas — 1) symbolo, 2) codice et 3) rituali, et 4) quoad Abrahamidas numero etiam sociorum: quam judaica 1) numero sociorum, 2) indole religionis, et 3) separatione a constitutione politica.

* Ecclesia Christi aliquo sensu mundo coaeva dici potest: cf. diss. P. Ans. Rittler: „Ecclesia fidelium mundo coaeva" et S. August. de civ. Dei.

III. Ecclesia Christi maxime exoptata est rationi; quae uti in Christo auctoritatem legitimam institutoris ecclesiae agnoscit, ita in ecclesia ab ipso instituta characteres verae ecclesiae invenit, suisque votis satisfieri intelligit.

IV. Grande opus est instituta a Christo ecclesia, sive universalitatis, sive unitatis habeatur ratio; et insignis Christi magnitudo inde elucet, sapientia nimirum, benevolentia et potentia.

§. 156.

Ad obtinendum ecclesiae suae finem Christus ipse triplicem, quae requiritur, potestatem instituit; rem istam et arduam et periculo plenam non relinquens voluntati hominum infirmae et mutabili.

a) Triplex illa potestas est potestas docendi religionem, cultum externum administrandi, et fideles regendi.

b) Altero hoc facto speciem suae ecclesiae determinavit.

§. 157.

Christus inprimis Apostolis dedit potestatem, authentice docendi religionem suam, seu instituit magisterium religionis authenticum.

a) Christus enim 1) jam ante mortem suam Mt. X, 5 sqq. Apostolos ad Judaeos, post resurrectionem autem Mt. XXVIII. et Marc. XVI. in universum mundum misit cum mandato, praedicandi Evangelium; et auditoribus imposuit obligationem, ut Evangelio praedicato fidem praeberent. Christus ergo qua summus ecclesiae princeps pro suprema sua potestate magisterium religionis instituit.

2) Apostoli ita sibi vindicant munus docendi, ut Act. VI. diaconos ad curam pauperum constituant; et Act. XV. 24 contra doctores, quibus ipsi non mandarint, protestentur.

b) Et authenticum quidem magisterium instituit: nam 1) Christus ipse per triennium Apostolos docuit, dein Spiritum S. qui eos in omnem veritatem induceret, misit, et demum potestatem patrandi miracula ipsis concessit, ut omnes divinam Apostolorum missionem agnoscerent: 2) Unde et Apostoli fidem sibi haberi postulant, quia cum Christo conversati et ab ipso docere jussi sunt Act. I, 22. IV,

19, 20 I. Joh. I, quia per Spiritum S. ad docendum idonei redditi sunt Act. II, 15 sqq. et quia miraculis ceu divini legati sunt adprobati.

* Propositio illustrari potest a) ex historia: 1) In aetate patriarchali patres in suis familiis munus doctorum obibant, ad quod tum per characterem suum, tum per facta extraordinaria satis dispositi fuere: 2) in mosaica doctores ordinarii erant levitae et Sacerdotes; extraordinarii prophetae, quorum auctoritas per ipsam constitutionem, et per facta miraculosa etc. probata fuit; ortis insuper dubiis oraculum divinum et summum sacerdotem consulere oportuit: Exod. XXVIII, 30. et Deutr. XVII, 8. demum 3) in christiana noluit Deus continuam extraordinariorum doctorum successionem dari, sed scholam authentici magisterii aperuit.

b) ex ratione: quae advertit, institutum scholae pro omni conditione hominum 1) ad praerogativas religionis christianae pertinere, eoquod alii populi ipsique Judaei ministros potius cultus, quam doctores religionis habuerint; 2) conditioni hominum, qui tali magisterio egent, et 3) indoli religionis, praesertim positivae, consentire, uti vel ipsi Protestantes adversus Quakeros et fanaticos docent.

§. 153.

Pariter Christus Apostolis dedit potestatem, baptismum et S. coenam administrandi, sive legale sacerdotium instituit: nam a) ipse Christus Mt. XXVIII, 19 et Luc. XXII, 19 apostolis, qui soli utroque in loco memorantur, utramque istam potestatem dedit. Unde et S. Paulus I. Cor. IV, 1. apostolos vocat ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.“

b) Porro cum sacerdotium hoc loco non sit, nisi potestas, externum ecclesiae cultum administrandi, certum est, 1) in ecclesia Christi sacerdotium dari, 2) et quidem legale, utpote ab ipso ecclesiae christianae fundatore constitutum.

c) Observo 1) ex historia: In aetate patriarchali ipsi patriarchae sacrificarunt; et propter nomadicam ipsorum vitam nec templum aderat, nec status sacerdotalis; Melchisedech rex et sacerdos qualis fuerit, non potest definiri: Moses ut rudi et ad idololatriam prono populo consuleret, integrae tribui Levi, per reliquas tribus dispersae, administrationem cultus externi admodum ampli commisit: Christus autem magisterium et sacerdotium suavi consilio conjunxit, ut utriusque auctoritas mutuo sustentaretur:

2) ex ratione: Sacerdotium exigit ordo et honestas in sacris, probat consuetudo omnium gentium, et analogia civitatis postulat.

* Sacerdotio Apostolorum non obstat, quod christiani omnes Apoc. V, 10. et I. Petr. II, 5. sacerdotes vocentur: nam 1) etiam Israelitis hoc nomen tribuitur, licet soli tribui Levi propria fuerit potestas sacrorum; 2) Dignitas ergo sacerdotalis christianorum vel ad privata spiritualia, sacrificia, vel potius ad vocationem eorum in ecclesiam summi pontificis Christi pertinere videtur.

§. 159.

Demum Christus apostolis etiam dedit potestatem regendi ecclesiam, seu imperium sacrum instituit.

a) Potestas regendi ecclesiam est potestas, fideles ad impetrandum ecclesiae christianae finem

efficaciter urgendi, seu ad media adhibenda, et ad impedimenta removenda.

b) Quodsi haec potestas juxta nostrum cogitandi modum in sua resolvatur elementa, tres complectitur partes, nempe potestatem legislatoriam, judiciariam et executivam seu punitivam.

c) Tres istas sacri imperii partes, in ecclesia Christi amplissima et usque ad finem mundi duratura, maxime necessarias, ab ipso Christo institutas esse jam in specie ostendimus.

* Magisterium et instituta liturgica debitam non exerunt efficaciam, nisi potestas regendi accedat, quae ignorantiam tollat, innatum quasi multorum torporem excitet et stimulet, et animi levitatem vel omnino malitiam coerceat.

§. 160.

Prima imperii pars est potestas legislatoria, quam Christus Apostolis dedit; seu potestas regulam moralem perfecte obligantem praescribendi, simulque datam regulam authentice declarandi, siquidem dubium fuerit ortum de sensu, extensione vel obligatione legis.

a) Christus ipse Apostolis dedit 1) potestatem authentice declarandi leges a semetipso latas, eo ipso, quia ipsis dederat potestatem authentice docendi religionem a se traditam, in qua praecepta et leges ipsius continentur: deinde etiam

2) potestatem ferendi novas leges, ecclesiae vel necessarias vel utiles: nam

Mt. XVIII, 18 Apostolis dixit: „Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.“ Generalem ergo ligandi et solvendi potestatem apostolis Christus promisit ita, ut sententia eorum etiam a Deo sit approbanda. Jam vero potestas ista denotat potestatem legislatricem, quia ligare et solvere idem est, ac obligare et ab obligatione liberare; quia in s. scriptura potestas ligandi cum potestate clavium Mt. XVI. conjungitur. Deinde Joann. XX, 21. Christus redivivus Apostolis dixit: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.“ Unde Christus, redivivus ecclesiae princeps, apostolis ad similem finem similem contulit potestatem, adeoque etiam potestatem ferendi leges ad finem illum necessarias vel utiles.

b) Apostoli dein ab omni ambitione remoti 1) potestatem legislatricem exercuerunt: nam Act. XV, 28 sqq. ubi a Spiritu S. directi, fideles ab observatione legis Mosaicae liberos declarant, potestatem authentice declarandi legem divinam ostendunt; dumque jubent abstinere a sanguine et suffocato propter ruditatem populi et conditionem climatis, — ab idolothytis, ut christiani a gentilibus removerentur, et a fornicatione, quam gentiles certis temporibus licitam esse censebant, vere exercent potestatem novas ferendi leges pro potestate a Christo accepta. Unde et Paulus illa decreta a fidelibus vult custodiri Act. XV, 41. et XVI, 4.

2) et sibi competere asserunt: ita S. Paulus Tit. I, 5 scribit: „Reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas etc. et Act. XX, 28 epis-

copos a Spiritu S. positos esse dicit, regere ecclesiam Dei.

c) Observo 1) ex historia. In aetate patriarchali suffecit potestas, quam jus naturae, et interdum divina revelatio patribus familiarum tribuit. In aetate mosaica gens servilis constanti legis litterae fuit alligata, dum constitutio uni tantum nationi — pro certa regione et pro certo tempore destinata, stabilitatem admitteret. In aetate autem christiana substantia ordinis moralis pro omnibus omnium temporum ac locorum fidelibus ab ipso Christo fuit praescripta, simulque multa adjuncta ministris pro bono ecclesiae constitutis sunt relicta, ut ita simul ratio diversitatis temporum ac locorum haberi posset, magisterio et sacerdotio major efficacia tribueretur, et finis ecclesiae magis promoveretur.

2) ex ratione, quae agnoscit, in societate, maxime universali, stabiles primum requiri leges, circa quas authentica declaratio, si lites et dubia oriantur, est necessaria; dein interdum novas leges pro diversitate adjunctorum esse necessarias, quae proin a legitima potestate debeant determinari.

* Operae pretium non est, 1) immorari iis objectionibus, quae potestatem legislatricem ex confoederatione christianorum ortam dicunt, et verba Christi Mt. XVIII. ad nudam liciti illicitique declarationem restringunt, quum in coelo solutum ligatumve sit, quod solverint vel ligaverint apostoli: 2) omnis etiam illa potestas regendi non violat jura sive rationis, sive libertatis, sive conscientiae: nam rationi permittitur indagare sensum, argumentorum pondera et momentum doctrinarum revelatarum: libertati nulla infertur vis, sed moralis tantum obligatio

ab ipso Christo imponitur; ita et conscientiae praescribitur regula ab ipso Christo, in cujus nomine ecclesia agit.

§. 161.

Altera imperii ecclesiastici pars est potestas executiva seu punitiva, id est, potestas subtrahendi bonum, vel irrogandi malum propter culpam; quam potestatem Christus apostolis concessit. Nam

a) Christus Mt. XVIII, 17. dixit: „Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.“ Contulit ergo apostolis, ad quos locutus est Christus, potestatem excludendi refractarium a communione ecclesiae; quae quidem exclusio, seu excommunicatio, dum publica auctoritate fit, poena gravissima est.

Deinde Joan. XX, 23. solis apostolis dixit: „Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.“ Apostolis ergo singularem potestatem dedit, ab ipsis ceu fidelibus dispensatoribus prudenter exercendam; potestatem nempe immorigeros christianos remissione peccatorum privandi et in reatu poenali retinendi; quae poena, utique spiritualis, gravissima est.

b) Apostoli hanc potestatem sibi a Christo concessam profitentur et exercent. 1) S. Paulus II Cor. X, 6. scribit: „In promptu habeo ulcisci omnem inobedientiam .... potestate, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram.“ 2) Idem I Cor. V, 1 — 5. incestuosum „in nomine Domini cum virtute Domini tradi-

dit Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini;" seu exclusit ab ecclesia, et afflictiones corporis divinitus immisit; uti etiam Ananiae et Saphirae Act. V. et Elymae magi exemplo Act. XIII. comprobatur. 3) Imò S. Paulus Timotheo injungit I Tim. V, 20. „Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant." et Tito, ut dure increpet Cretenses Tit. I, 13. „ut arguat cum omni imperio." II, 15.

* Deus, ne potestas ecclesiae, undique afflictae vilesceret, eam primis temporibus portentoso non numquam sustentavit effectu; quo effectu etiam cessante potestas tamen ecclesiae necessaria perdurat.

c) Observo 1) ex historia: — In aetate patriarchali patresfamilias naturali jure puniendi gaudebant, et Deus terrificis interdum exemplis in malos animadvertit. In mosaica Moses severiores, uti legi timoris, et populo durae cervicis competebat, poenas determinavit, et tota nationis historia providentiam Dei vel remunerantis, vel castigantis ostendit. In christiana Christus etsi religionem amoris institueret, potestatem tamen etiam punitivam concessit, tum ne legislatio fine frustraretur, tum ut potestas ordinis digne administraretur, tum ut medela privata et publica in ecclesia praesto esset.

* Ecclesia nascens hanc suam potestatem palam satis non potuit ostendere, quia 1) aemulam nacta est tum synagogam, tum ethnicam superstitionem, et idcirco cautela opus habuit, ne invidiam sibi conflaret; et 2) quia ob sanctitatem christianorum rarior poenarum occasio aderat.

2) ex ratione; quae intelligit, potestatem ecclesiae, quae socios ecclesiae serio arguit, a

sacra coena removet, et tandem a coetu excludit, fini instituti moralis non repugnare; sed aptum esse medium sceleratos emendandi, vim pravi exempli minuendi vel scandalum tollendi. Debet autem ea potestas sociam habere dilectionem, quae desiderio et conatu, salutem alterius promovendi, cernitur, et tum ordine, tum fine coercitionis sese ostendit.

* Objiciunt 1) Christus non exercuit potestatem punitivam; apostolis charitatem injunxit; et Luc. XXII, 25. dominatum prohibuit. ℟. Christus, uti ostensum est, instituit potestatem punitivam; ipse ejecit e templo profanatores: et saepius poenas aeternas intentat; cum dilectione bene stat potestas punitiva; Luc. XXII. arbitrarium dominatum prohibuit, non autem justum imperium, ut potius illud ibidem commendet: „Qui major est in vobis, fiat sicut minor" etc.

2) Apostoli pariter imperium non ostentant, sed peccantes ceu fratres tractant, et Diatriphen redarguunt, quod discipulos Joannis excommunicaret. ℟. Apostoli potestatem punitivam et agnoverunt et exercuerunt; ostentatio imperii vetita est ex verbis et fine Christi; cum charitate fraterna conjungi potest correctio privata et publica; redargui debuit Diatriphes, quod potestatem sibi contra discipulos apostoli arrogaret.

3) Potestas punitiva repugnat fini ecclesiae, quia religio extorqueri poenis non potest; et exclusio aegri a medicina officio medici non consentit. ℟. Poenae ad morales fines conducunt: et non ad persuadendam religionem diriguntur, sed eo tendunt, ut vel christianus ad officium revocetur vel ecclesia a scandalo ipsius liberetur. Excluso manet refugium ad Deum, et si resipiscat, reditus ad ecclesiam.

§. 162.

§. 162.

Tertia sacri imperii pars est potestas judiciaria, quae

a) consistit in potestate 1) per apta media capiendi notitias de actionibus fidelium, et 2) ferendi sententiam regularem de earum merito vel culpa, praemio vel poena.

b) Hanc potestatem, quae cum legislatrice, ut finem obtineat, et cum punitiva, ut justum sit exercitium, connectitur, 1) Christus apostolis dedit, dum voluit, peccantem ad ecclesiam deferri Mt. XVIII, 18. hujusque sententiam valere jussit; et 2) apostoli in causa legis mosaicae Act. XV. et Paulus I Cor. V. in causa Corinthii exercuere.

* Rarius apostoli hac potestate usi sunt, ne civilem usurpare potestatem viderentur; ast notum est axioma: potestatem non in exercitio, sed in jure esse sitam. S. Paulus I Cor. VI. causas christianorum civiles non coram ethnicis tractari voluit, sed in ecclesia, quia a christianis omnes lites abesse, et omnem differentiam modo amicabili componendam esse voluit: eamque Apostoli constitutionem primo tantum tempori accomodari vel ex eo patet, quod apostolus obedientiam erga principes saepe commendet.

§. 163.

Christus solis apostolis triplicem illam potestatem concessit, quae idcirco ipsis solis propria est.

a) Christus profecto non ob vanos titulos ex numero discipulorum suorum solo duodecim

apostolos elegit. 1) In omnibus locis, quibus Christus triplicem potestatem istam instituit, ad solos Apostolos mandata Christi fuere prolata. 2) Nullibi etiam Christus hanc potestatem vel toti fidelium coetui, quem potius apostolis subjecit; vel principibus politicis, a quorum regno differre suum regnum professus est Jo. XVIII. et idcirco potestatem a civili diversam Luc. XXII. instituit; vel septuaginta duobus discipulis concessit, quos apostolorum adjutores esse voluit.

b) Apostoli triplici hac potestate ceu divinitus accepta usi sunt, absque praevia cum christianis consultatione: id quod inprimis S. Paulus confirmat, qui Gal. I, 1. se apostolum non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum appellat: tum vero Eph. IV, 11. scribit: „Ipse (Christus) quosdam quidem apostolos, alios vero doctores, et alios dedit pastores etc.“ demum I Cor. XII, 4. plures ministeriorum divisiones in ecclesia dari, ab uno autem Domino omnia ministeria esse instituta docet.

Patet ergo, potestatem apostolorum quoad existentiam, perdurationem et exercitium non a consensu ecclesiae pendere, sed ab ipso immediate Christo acceptam, ac proin propriam esse.

* Triplex ista potestas una est completa potestas, quae diverso tamen modo ad plenum totius religionis vigorem, et ad finem ecclesiae conducit, uti ratio facile intelligit.

** Ad solvendas objectiones observo: 1) In ecclesia naturali jus in sacra vel collegiale, vel majestaticum fors asseri potest; de quo tamen dicere hujus loci non est. At in ecclesia christiana standum est voluntate Christi. 2) Christus Mt. XVIII.

jubet peccantem deferri ad ecclesiam; quia peccata publica in facie ecclesiae argui debent; judicium autem de iisdem non toti coetui, sed rectoribus competere tum ex contextu, tum ex sapientia et bonitate Christi colligitur. 3) Apostoli Act. I. VI. XV. totam convocant multitudinem, et cum ea causas ecclesiae tractant. R. Haec apostolorum methodus primo aevo et spiritui religionis congruebat. Electio novi apostoli Act. I. ab ipso Deo per sortem repetenda esse videbatur: electis — juxta concessionem ab Apostolis datam — a populo diaconis Act. VI. apostoli manus imponunt, et eos constituunt diaconos: Act. XV. in ipsa tractatione causae „tacuit omnis multitudo."

§. 164.

Quodsi jam idioma ecclesiasticum et principia juris socialis adplicemus, Christus a) juxta idioma ecclesiae instituit 1) potestatem ordinis, seu solis apostolis dedit potestatem stabilem fungendi ministerio Christi in cultu externo; et 2) jurisdictionis, seu iis solis concessit potestatem triplicem ad regendam ecclesiam.

* Magisterium ad potestatem legislatricem refertur; finis porro potestatis tum ordinis tum jurisdictionis est, ut cognitio et exercitatio religionis promoveatur.

b) juxta principia juris socialis instituit societatem inaequalem, in qua socii ex ipsa institutione Christi inaequales sunt juribus et officiis: nam 1) etsi omnes idem symbolum, eundem codicem et idem rituale habeant, Christus tamen voluit in ecclesia sua, quatenus ea visibilis est, dari discrimen circa ministerium cultus externi, et regimen ecclesiae: 2) quae inaequalitas variis formulis apud

veteres indicatur, nempe clericorum et laicorum a S. Clemente Rom. ordinis et plebis a Tertulliano, ecclesiasticorum et saecularium a S. Hieronymo etc.

* Unde facile contra Rigaltium, Salmasium, et Seldenum ostenditur, inaequalitatem non esse translatam ex mosaismo, nec introductam pacto sociali, nec firmatam ambitione Tertulliani, Cypriani; nec repugnare fini ac naturae regni moralis, neque bono civitatis, neque juribus hominum obesse.

** Similiter contra recentiores patet, ecclesiam Christi non esse meram paedagogiam, sed societatem nomotheticam potestate a Christo accepta.

§. 165.

Potestas, hactenus exposita, apostolis communis, et aequalis erat, et ad finem ecclesiae universalis et unius conducit. Verum ad finem istum plene obtinendum Christus uni S. Petro singularem prae reliquis apostolis praerogativam fundamenti, clavigeri et pastoris Mt. XVI. et Jo. XXI. promisit et contulit.

a) Christus Mt. XVI, 17 — 19. S. Petro, divinitatem Christi confesso, dixit: „Beatus es Simon, Bar— Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est! Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris" etc. Jam in hoc loco Christus solum Petrum alloquitur, ab Apostolis reliquis distinguit eum appellans omnibus et singulis nominibus „Simon, Bar — Jona, Petrus", eique aliquid singulare promittit, remuneraturus ipsius

confessionem: „Beatus es etc. Et ego dico tibi etc.“ „Et tibi dabo etc.“ nempe cum Christus ipse sit fundamentum Isa. XXVIII, 16. Ps. CXVII, 22. coll. I. Cor. III, 11. cumque ipse claves potestatis habeat Apoc. III, 7. coll. Mt. XXVIII, 18. singularem utique praerogativam S. Petro conferre vult, constituens eum ceu fundamentum et clavigerum ecclesiae suae, quam aedificio insigni et regno comparat.

b) Quod Christus Mt. XVI. promiserat, Jo. XXI, 15 — 19 actu contulit, ter Petrum interrogans: Simon Joannis diligis me plus his? et trinae responsioni addens: Pasce agnos meos, pasce oves meas.“ Rursus enim Christus solum Petrum ab aliis apostolis praesentibus distinguit, eum solum alloquens, omnibus nominibus designans, et interrogans „Diligis me plus his?“ et maiorem ab ipso amorem exigens, majus aliquid, et singulare quid ei in praemium confert; cumque Christus ipse ab Ezechiele ceu pastor praedicatur et seipsum pastorem nominet Joh. X. et „pastor pastorum“ vocetur a S. Petro I Petr. V. singularem utique eidem confert praerogativam, tradens ipsi totum gregem suum, suos nempe agnos et suas oves. cf. Storchenau „Philosophie der Religion und Zugabe“ Wolfg. Frölich „Quis est Petrus?“ Zeugnifse aus allen Jahrhunderten von Laur. Doller. „Was glaubte von jeher die kathol. Kirche vom Bischofe zu Rom.?“ Kistemaker „Exegetische Abhandlung über Mt. XVI und XIX. Stolberg von dem Vorrange des hl. Petrus. Com. de Maistre: vom Pabste.

§. 166.

Hisce ex praerogativis sequitur, S. Petro juxta idioma ecclesiae a Christo collatum

esse primatum, id est, praerogativam uni Petro propriam et aliis non communem; et quidem primatum non honoris tantum, qui in praeeminentia circa actus honorificos, aut auctoritatis, qui in potestate directoria solum, non praeceptoria consistit: sed primatum etiam jurisdictionis, qui in praerogativa jurium consistit, vi cujus alios non tantum suadendo, sed etiam jubendo ac puniendo cum obligatione regere possit. Nam primatus jurisdictionis sequitur

a) ex verbis Christi, fundatoris et supremi domini ecclesiae, et quidem

1) ex praerogativa fundamenti; fundamentum enim est praecipua aedificii pars, quae reliquis prior sit, singulari firmitate polleat, et reliquarum partium superstructarum nexum ac firmitatem conservet: unde et Petrus praecipuum est ecclesiae membrum, reliquis a Christo praelatum, quod singularem firmitatem habere, et reliqua membra in nexu cum ipso, et contra omnes adversae potestatis assultus in religione debet conservare; id quod sine primatu jurisdictionis praestare nequit, uti ab exemplo aliorum collegiorum declarari potest:

2) ex praerogativa clavigeri; potestas enim clavium ex usu loquendi tum communi, tum biblico Isai XXII, 22 potestatem jurisdictionis denotat; praerogativa ergo in potestate clavium primatum jurisdictionis indicat:

3) ex praerogativa pastoris: pascere enim est non solum cibum praebere; sed etiam ducere, compescere, tueri etc. uti patet ex usu loquendi communi et biblico, juxta quem reges et praepositi vo-

cantur pastores, v. g. Cyrus Isa. XLIV, 28. David Ps. LXXVII, 71, 72. ipse Christus Joann. X, 1 — 16.

b) Praeterea Christus praerogativam Petri aliis modis confirmavit:

1) Simoni nomen aliud imposuit, Petri nempe Joann. I, 42.

2) Christus praesentibus aliis apostolis pro se et pro Petro Mt. XVII. tributum jubet solvi:

3) in horto Gethsemane Mt. XXVI, 40. „dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?“

4) post resurrectionem ei seorsim Luc. XXIV. apparet, et

5) pro Petro singulariter orat Luc. XXII, 33. ut non deficiat fides ejus; et jubet, ut conversus aliquando confirmet fratres.

c) Petrus ipse, post tristem lapsum suum circumspectus, modestus et ab omni arrogantia remotus, primatum exercuit: Act. I, 15. exurgens Petrus in medio fratrum electionem novi pro Juda apostoli indicit; Act. II, 14. stans cum undecim levavit vocem, annuntiavit Christum, et credentes baptizari jussit; Act. III, 12. post patratum praesente Joanne insigne miraculum ad populum et Act. IV, 8 ad principes populi et seniores repletus Spiritu S. loquitur, os apostolorum a S. Chrysostomo vocatus; Act. V. Ananiae et Saphirae fraudem exprobrat et mortem denuntiat; Act. VIII. praesentibus Joanne et Andrea Simonem magum redarguit; Act. IX. universos coetus in Judaea, Galilaea et Samaria pertransit, tanquam imperator, ut S. Chrysostomus ait, suas copias recensens; Act. X. post visionem coelestem Cornelium cum aliis gentilibus ecclesiae associat; Act.

XV. in concilio Jerosolymitano surgens Petrus sermonem habet et primus sententiam edicit.

* Iis speciminibus, etsi ea per se non sufficiant, major vis accedit, si verba Christi cum iis conjungantur. Insuper notari debet, quod S. Petrus tum ob potestatem apostolorum amplissimam, tum ob statum primitivae ecclesiae omnia primatus jura in toto suo ambitu exercere nondum potuerit.

d) Apostoli cum primitiva ecclesia primatum Petri agnoverunt; etsi enim pares essent Petro in apostolatu,

1) nullibi tamen in memoratis antea actis eidem restiterunt:

2) Evangelistae ubi Apostolos recensent, constanter S. Petrum primo loco ponunt, quin imo primum etiam vocant Mt. X. Marc. III. Luc. VI. et Act. I. et saepe dicunt: „Petrus cum undecim" eum quasi ducem et principem designantes:

3) Apostoli solicite communionem cum S. Petro servabant: sic S. Paulus Gal. I, 18. scribit: „Veni Jerosolimam videre (percontari) Petrum: II, 1, 2." Iterum „ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumto et Tito . . . secundum revelationem, et contuli evangelium cum illis . . . . ne forte in vacuum currerem etc. et II, 9." cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus, Cephas et Joannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis etc.

4) causas ad ipsum retulerunt Act XV, 2, Unde

5) cum Petrus teneretur in vinculis, oratio sine intermissione ab ecclesia ad Deum fiebat pro eo Act. XII.

6) In primitiva jam ecclesia Patres graeci et latini citatos § praec: textus de praerogativa Petri exposuerunt, ut sect. II. ostendetur. cf. Mamachius tom I. antiq. christ.

* Plura proferre vetat defectus documentorum ex prima ecclesiae aetate; et licet allata per se non sint decretoria, simul sumpta tamen, et cum verbis Christi conjuncta tenuia prorsus non sunt.

** Objiciunt contra verba Christi Mt. XVI, 1. Petra non est Petrus, sed a) vel ecclesia seu collegium apostolorum, cujus nomine Petrus confessionem edidit: ℟. Non indicatur, quod Petrus nomine apostolorum ediderit confessionem: ipse solus a Christo beatus dicitur. Cur Christus tot cautelis quasi Petrum distinxit, si collegium apostolorum intelligitur?

b) vel ipse Christus, uti Paulus I Cor. III, 10. et X, 4. insinuat, et Ss. Patres contra Donatistas, qui valorem sacramentorum negabant, saepe asserunt. ℟. Christus quidem multiplici sensu est fundamentum, ceu doctor, fundator, dominus etc. et est lapis angularis; Petro tamen rationem fundamenti ministerialis tribuit. I Cor. III. Paulus dissensionem Corinthiorum ob ministros ex eo refutat argumento, quod omnes unam religionem tradant, uti Gal. I, 8. sine metaphora dicit evangelium non posse esse aliud: I Cor. X. petra, ex qua Israelitae aquas obtinuerunt, significat Christum petram spiritualem. cf. Jo. VI.

c) vel fides Petri, uti Patres contra Arianos ex eo loco argumentum pro divinitate Christi petentes asserunt, et hodie non pauci post Lutherum repetunt, et contextus exigit, eoquod ob confessionem Petrus vocetur. ℟. Pronomen hanc ad proximum substantivum debet referri, uti ex textu originali clarius patet. Patres autem sensum nostrum

communi sensu simul asserunt, etsi interdum verba Christi de confessione Petri exponant, quia nempe propter confessionem suam Petrus tantum praemium accepit. De omnibus istis expositionibus valet, quod ab obvio verborum sensu recedant, et sapientiae Christi repugnent. 2) Blau et Dereser dicunt: Petrum esse fundamentum, eoquod primus Judaeis Act. II. et gentilibus Act. X. Christum annuntiet, et ita ecclesiam aedificet, sicuti Paulus Eph. II, 19. sq. de se asserit. R. Christus non dixit per te, sed super te aedificabo ecclesiam meam: deinde verba „portae inferi etc.“ pertinent ad praecedentem textum, et sic docent, quod Christus firmitatem ecclesiae super Petrum aedificatae, non ipsam aedificationem per Petrum faciendam promittat. Apostoli, quando evangelium praedicant, et ecclesias congregant, non sunt fundamentum ipsum, sed cooperatores, et ministri, uti Paulus ipse explicat. Hoc autem sensu vis verborum Christi adeo significantium non absolvitur. 3) Potestas clavium denotat tantum vel potestatem fideles recipiendi et excludendi ab ecclesia; vel potestatem declarandi licita et illicita. R. Christus non dixit: „Quoscumque“ sed „quaecumque:“ potestas clavium in communi loquendi modo semper potestatem regendi, in ecclesia aeque necessariam, indicat. 4) Petrus non accepit praerogativam, quia *a*) alii etiam apostoli potestatem ligandi et solvendi Mt. XVIII. acceperunt, et Joan. XX. a Christo missi sunt: R. Ubi Christus apostolis Mt. XVIII. potestatem ligandi confert, Petrus simul aderat; utquid ergo Christus tam solemniter soli Petro Mt. XVI. loquitur, si nihil singulare ei soli voluit conferre? deinde jam prius soli Petro istam praerogativam dederat; demum potestatem clavium soli Petro, non autem et reliquis apostolis dedit. *b*) Etiam alii apostoli sunt fundamentum Eph. II, 19. et columnae Gal. II, 9. ubi primum

Jacobus, dein Cephas, et demum Joannes nominantur. ℟. Eph. II. apostolus per fundamentum non ipsos apostolos, sed doctrinam divinam per prophetas et apostolos promulgatam indicat: deinde aedificium habet fundamentum, et plures columnas. Gal. II. Petrus honoris gratia in medio potuit poni. Ostendit autem Mamachius tom. V. orig. et antiquit. christ. in antiquis codicibus, quibus usi sunt Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus et Hieronymus, Petrum primo loco fuisse positum; id ipsum Sabbatier de vetere Itala, et Grotius de codice Alexandrino testantur.

*** Contra Joan. XXI. auctor operis „de primatu rom. pontificis: Londini 1770.“ objicit: verba „pasce oves meas“ esse intelligenda de solis Judaeis: a) quia Christus Mt. XV, 24. se ad oves, quae „perierunt, domus Israel missum dicit:“ ℟. Primario Messias ad Judaeos missus est; satis tamen Joan. X, 16. se et alias habere oves declaravit, quae non sunt ex illo ovili, et quas oportet adducere: b) quia Christus praeceptum de docendis gentibus dedit omnibus apostolis ℟. Longe differt primatus Petri a praedicatione evangelii in omnibus populis per apostolos. Ceterum omnes apostoli ante dispersionem Jerosolymis sunt morati, et non Petrus, sed Jacobus Solymorum fuit antistes.

**** Aliae objectiones ex ipso argumento facile solvi possunt.

§. 167.

Ut primatus illustretur, juvat

a) considerare 1) originem ejus, quae est divina, utpote quem Christus ipse divina auctoritate promisit, et contulit; quae quidem legalis

institutio plus auctoritatis, et firmitatis confert, quam voluntaria sociorum translatio:

2) subjectum, quod non est tota ecclesia, vel collegium apostolorum; sed Petrus. Ecclesiae datus est primatus influxu utilitatis, non exercitio potestatis. Unde et Romani pontifices se servos servorum Dei appellarunt:

3) naturam, quae non ad potestatem ordinis pertinet, nec novam speciem potestatis, sed praerogativam potestatis jurisdictionis importat:

4) finem, qui est unitas socialis totius ecclesiae, et unitas externa innixa internae, cujus conservandae et promovendae medium est primatus:

b) et observare 1) ex historia: Sicut olim Deus in theocratia judaica voluit, ut sacerdotes et reges Dei vices gererent; et unum simul praefecit antistitem, quem omnes respicerent, quo melius in unitate continerentur: ita et Christus, fundator, lapis angularis, pastor gregis et animarum, caput ecclesiae et unus Dominus apostolos dedit, doctores et pastores, qui ipsius munere fungerentur; simul tamen pro unitate totius ecclesiae, et illius quidem amplissimae unum veluti centrum, et visibilem Sui vicarium constituit.

2) ex ratione, quae sua ex natura ad unitatem tendit, et facile intelligit, ad unitatem, quam Christus sua in ecclesia dari voluit, aptissimum medium esse unum rectorem pro ecclesia quavis particulari, et unum rectorem supremum pro ecclesia universali, adeoque et primatum, a Christo institutum, grata acceptat. Unde et praestantiores ex Acatholicis, Melanchton, Hugo Grotius, Döderlein, Jänisch, Kirch-

hof etc. illam primatus utilitatem fatentur cf. Theoduls Gastmahl von Stark, Prediger zu Darmstadt.

§. 168.

Christus ergo in sua ecclesia imperium sacrum ac supremum ipse instituit:

a) Imperium quidem, quia pro summa sua potestate in coelo et in terra apostolis et Petro potestatem regendi ecclesiam, in quavis societate magis ampla necessariam, ipse concessit, non fidens fragili et mutabili hominum arbitrio;

b) sacrum autem, quia ipse professus est, regnum suum non esse de hoc mundo; et omnis quam dedit, potestas ad promovendam fidem, spem et charitatem dirigitur;

c) supremum, quia omnis illa potestas a solo Christo data est, et per Christum subsistit, ejusque exercitium a Deo adprobatur. Unde duas supremas potestates, civilem et ecclesiasticam imperatores, pontifices et ss. Patres agnoscunt, quin inde periculum alterutri potestati immineat, uti ex societate litteraria, quae in civitate coit, declarari potest. cf. Droste „Ueber Staat und Kirche“ und von Sicherer „Unabhängigkeit und Selbstständigkeit der Kirche.

* Recentiorum objectiones solvi possunt ex eo, si status ecclesiae empyricus ab ideali discernatur.

§. 169.

Simul etiam formam et modum regiminis ipse determinavit.

a) Formam regiminis, quae repetitur a persona, penes quam potestas residet, Christus invisibilis ecclesiae suae Dominus, ita determinavit, ut apostolis omnem potestatem regendi daret, ipsis tamen Petrum praeficeret.

* Quaestiones, utrum haec forma sit monarchica, vel monarchico — aristocratica, vel Christocratia etc. juri ecclesiastico relinquimus, hoc unum addentes, quod forma a Christo praescripta, quocumque vocetur nomine, optima certe sit dicenda propter bonitatem et sapientiam Christi; et quod potestas primatialis per potestatem apostolorum mitigetur, potestas autem apostolorum per primatum firmetur, sustentetur et compleatur.

b) Modum regiminis, qui conditiones complectitur, a rectoribus servandas, ut exercitium potestatis effectum sortiatur, Christus ita determinavit, ut alias conditiones ad legalem et validam, alias ad moralem et licitam administrationem requireret.

1) Ad validam administrationem pertinet primo legitima vocatio et ordinatio, a qua Christus potestatem ipsam pendere voluit Jo. X, 1 — 9. „Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium (quod est Christus) in ovile ovium, sed ascendit aliunde; ille fur est et latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ovium" etc. Unde et S. Paulus scribit Rom. X, 15. „Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?" et Hebr. V, 4. „Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo, tanquam Aaron." Id quod ex analogia V. T. et civitatis etiam declarari potest:

deinde consensus rectorum tum cum doctrina Christi, a qua qui desciscit, non est minister

Christi, qui totum suum Evangelium servari voluit, tum inter se, ut unitas fidei servetur: praesertim autem communio et subordinatio erga primatem, in qua rectores suam exercere debent potestatem, uti ex fine primatus, et ex forma regiminis a Christo stabilita, et demum ex factis apostolorum Gal. I, 18. II, 1, 2. Act. XV. colligitur.

2) ad licitam et moralem potestatis administrationem Christus praescripsit, ut ea ab omni dominatu, ambitu et arbitrio sit remota; et ut in aedificationem ad finem ecclesiae cum charitate exerceatur.

* Jus ecclesiasticum fusius agit de talibus rectorum ecclesiae officiis; et id unum optandum est, ut quae fuit sapientia Christi in dandis, ea quoque sit rectorum sedulitas in servandis istis regulis.

§. 170.

Ex hactenus dictis jam formari potest notio ecclesiae christianae.

a) Est nempe ecclesia christiana societas hominum in Christum credentium et fidem baptismo confitentium, et ad finem juxta legem a Christo datam tendentium sub apostolis doctoribus, ministris et fidelium rectoribus, et inprimis sub Petro, ecclesiae fundamento, clavigero et summo pastore.

b) Omnes hujus notionis notae

1) ex verbis ipsius Christi,

2) ex factis et declarationibus apostolorum innotescunt, et

3) a ratione commendantur, quae sapientiam et bonitatem Christi laudat, qui tali modo infirmitati humanae succurrit, et opus ab ipso coeptum, ne vi-

tio hominum, aut continuis mutationibus corrumpatur, stabili instituto confirmavit. cf. Lud. von Haller: Theorie der geistlichen Staaten.

Sectio III.

Ulterior ecclesiae declaratio.

§. 171.

Praecipua ecclesiae a Christo institutae praerogativa est infallibilitas, quam recto ordine examinare et ostendere oportet.

a) Haec etenim materia 1) in se maximi est momenti, quia infallibilitas singulare ipsius Christi institutum est, quo opus ipsius conservatur, promovetur et defenditur; et quia characteristicam catholicae ecclesiae notam constituit: 2) dein infallibilitas non tantum ab acatholicis praeprimis impugnatur; sed etiam hinc inde a scriptoribus catholicis vel per novam exegesin et criticam, vel per philosophiam inique tractari coepit. Unde officium examinis nobis incumbit.

b) Modus autem examinis et ostensionis is servabitur, ut 1) notio infallibilitatis explicetur, 2) ejus possibilitas vindicetur, et 3) existentia ex s. scriptura ostendatur, ex sensu ecclesiae confirmetur, et ex ipsa ratione adprobetur.

* Inter adversarios praecipue nominari debent Thomas Freykirch et Felix Ant. Blau: „Kritische Geschichte der kirchlichen Unfehlbarkeit.“ Inter defensores memorandi

morandi sunt Vincentius Lirin. in Commonitorio: Lud. Muratorius (Lamindus Pritanus) de ingen. moder. in neg. relig. Schwarzhuber von der Unfehlbarkeit etc. Ildeph Schwarz im Relig. Handb. und in der neu fortges. Litteratur des katholischen Deutschlands. Linzer Monathschrift. Sambuga „Ueber den Philosophismus und „Prüfung der Einleitung zur Schrift: Neue Erde, neuer Himmel" etc. etc.

§. 172.

Per infallibilitatem ecclesiae indicamus auctoritatem rectorum ecclesiae in docenda et declaranda religione Christiana ab errore immunem propter assistentiam divinam a Christo promissam.

a) Auctoritas haec non est humana ob eruditionem, solertiam et sanctitatem rectorum; sed divina: quia rectores ecclesiae influxu divino dirigi credimus juxta promissionem Christi, quando juxta legem Christi circa doctrinam Christi sua edicta edunt.

b) In data notione, quam interea nominalem tantum sumimus, quinque notae discerni possunt, nempe auctor ejusdem, subjectum, materia, forma et finis.

* Circa formam distingui potest 1) modus, quo infallibilitas veluti producitur, et 2) conditio, sub qua eadem exerceri debet.

§. 173.

Talem praerogativam esse **possibilem**, nemo, qui revelationem admittit, negare potest.

a) Possibilitas **logica** manifesta est, cum in conceptu nulla reperiatur contradictio:

b) physica 1) ex parte Dei in dubium vocari nequit, quum Deus per media sive ordinaria, sive extraordinaria, si opus fuerit, ecclesiam dirigere et regere possit ad conservandam totius doctrinae suae veritatem: 2) homines autem vel influxus divini recipiendi, vel directionis divinae certe capaces sunt. Profecto apostolos agnoscimus infallibiles; quare eorum successores pariter infallibiles in dicto sensu esse nequeant?

* Etsi modus, quo infallibilitas a Deo quasi producatur, plene nequeat explicari, sufficit infallibilis Christi promissio. Gubernatio ecclesiae analoga est gubernationi mundi, quam etiam penitus explicare non possumus. Deus — teste historia — naturalibus rectorum dotibus, eruditione, prudentia, solertia etc. ad conservandam suam religionem usus est, et ipsos hominum affectus ad finem suum direxit.

c) moralis autem possibilitas ex eo patet, quia infallibilitas est medium

1) naturae et indigentiae hominum accommodatum: homines enim praeter scripturam et traditionem vivo indigent magisterio, cui plena et necessaria auctoritas ex assistentia illa divina accedit;

2) naturae religionis christianae respondens, utpote quae non ex ratione est deducta, sed a Deo singulariter data;

3) et Deo dignum, qui tali modo opus suum conservat, prosequitur et ad finem suum dirigit.

* Quae objici solent, ex sola hac observatione dilui possunt; quod infallibilitas non sit, nisi assistentia Dei sapientissimi et benevolentissimi, qua religionem divinitus datam, quam integram semper vult perdurare, actu conservat.

§. 174.

Infallibilitatem ecclesiae actu esse concessam, inprimis ex ipsis Christi verbis statuitur.

a) Primus locus est Mt. XVI, 18. „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“

1) Promittit ergo Christus, portas inferi (seu potestatem adversam) non praevaliturus fore adversus ecclesiam fundamento suo ab ipso Christo inaedificatam; adeoque ecclesiam contra omnes hostiles assultus fore victricem, et usque ad finem esse perduraturam.

2) Jam vero ecclesia, ceu ecclesia Christi non perduraret, si aliquando a veritate aberraret; in ea enim ecclesia potissimum consistit: deinde ecclesiae non tantum mores fidelium, sed multo magis errores in religione repugnant; qui ergo non praevalebunt. Omnis autem haec firmitas et inerrantia ecclesiae a Christo, seu inde oritur, quia Christus ecclesiam solido fundamento impositam aedificavit.

* Pronomen „eam“ ad ecclesiam, substantivum proxime praecedens, non vero ad Petrum vel confessionem Petri juxta regulas hermeneuticas referri debet.

b) Alter locus est Joann. XIV, 16. „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis . . . . v. 26. Ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia.“ Jo. XVI, 12, 13. „Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.“

1) Christus ergo in coena ultima, ubi cor suum majori charitate effudit, tristibus, anxiis, et de sua doctrina sollicitis apostolis promittit Spiritum Sanctum repetitis vicibus, qui vices suas suppleat ceu doctor, monitor, advocatus et adjutor; eumque constanter apud ipsos mansurum, qui ipse omnis erroris expers, utpote spiritus veritatis et suggerat, quae Christus docuerat, et doceat, quae ante portare non poterant, adeoque opus Christi perficiat; quo docente et suggerente apostoli certe ab omni circa doctrinam Christi errore sint praeservandi.

2) Haec jam promissio ad ipsos etiam apostolorum successores jure refertur, et infallibilitatem ecclesiae enuntiat: primo quia Christus Jo. XVII, 20. non pro solis apostolis, sed etiam pro omnibus in eum credituris oravit, ut sint et ipsi sanctificati in veritate etc. deinde quia apostoli directionem Spiritus S. etiam ad episcopos extendunt II. Tim. I, 14.“ Bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis.“ Act. XX, 28. „posuit vos (episcopos) Spiritus Sanctus regere ecclesiam Dei:“ demum quia ad finem ministerii successoribus apostolorum assistentia et directio Spiritus sancti magis adhuc necessaria est, quam ipsis apostolis. Unde et verba „ut maneat vobiscum in aeternum“ in sensu proprio accipi possunt.

* Generatim constans est Novi Testamenti doctrina, Spiritum S. praesse ecclesiae christianae ad veritatem conservandam et ad pietatem efficiendam.

b) Tertius locus est Mt. XXVIII, 20. „Et ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“

1) Christus hoc loco promittit suam assistentiam ad munus praedicandi evangelii rite implendum: nam postquam pro potestate sua in coelo et in terra apostolos jussit ire et docere omnes gentes, et fideles baptizare, et docere omnia, quaecumque ipse dixerit; ut grandi huic operi pares essent, et pares se fore scirent, adjungit: „Et ecce! ego vobiscum sum" — ego vos adjuvabo; ego licet corpore non amplius praesens, invisibili mea virtute vobis assistam: quo Christo assistente certe apostoli ab errore immunes et ad veritatem docendam expediti redduntur.

2) Jam vero haec promissio ad successores apostolorum aeque pertinet, quia et hi ad praedicandam et conservandam Christi doctrinam destinati auxilio divino indigent; et quia verba Christi „omnibus diebus" et „usque ad consummationem saeculi" aperte id indicant: consummatio enim saeculi finem mundi, quocum etiam finis oeconomiae christianae alibi conjungitur, Mt. XIII, 40. I, Cor. XV, 25. designat.

* Consummatio saeculi non indicat finem templi Jerosolymitani; post illum enim Joannes adhuc superstes fuit: et insolita est hujus formulae interpretatio.

§. 175.

Apostoli, quibus Christus statum ecclesiae certe declaravit Act. I, 3. et qui eundem servabant, eandem praerogativam laudant, generatim ad Spiritum S. provocantes, suamque sententiam eidem adscribentes. In specie autem S. Paulus hanc ecclesiae praerogativam adstruit, et quidem

a) Eph. IV, 11. sqq. scribit: „Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas,

alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, in opus ministerii, ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus."

1) Christus ergo magisterium instituit, ut fideles ad unitatem, quam Paulus ibidem inculcaverat, adducantur, magis ac magis perficiantur, dignum Christi coetum constituant, et ab instabilitate opinionum, ad quas improbi et astuti homines pertrahunt, liberi conserventur.

2) Magisterium itaque divina regitur directione; sine ea enim ad fines istos aptum non foret; et quia Christus magisterium ad dictos fines ipse instituit, illud etiam ad eosdem aptum reddit sua directione.

3) Haecce demum directio perdurat, quia magisterium in ecclesia stabile esse et ad istos fines servire debet.

* Etsi status sequentis ecclesiae a statu primitivae ecclesiae differat, et v. g. non semper apostoli et prophetae sint necessarii, ipsa tamen ecclesiae constitutio circa substantiam debet perdurare, sicuti ipsa Christi religio perdurat.

b) I Tim. III, 15. Timotheo plura dat mandata, et addit „ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi; columna et firmamentum veritatis."

1) Hoc loco S. Paulus adstruit, ecclesiam, quam Christus ceu domum vel templum construxit, et ad cultum Dei destinavit, esse columnam et firmamentum veritatis, seu religionis totius et indivisae.

2) Jam vero si ecclesia est columna et firmamentum veritatis seu religionis, religionem utique ceu columna attollit et conspicuam reddit, et ceu firmamentum et basis sustentat et conservat; id quod non nisi sub singulari numinis directione praestare potest.

3) Docet ergo S. Paulus, religionem per ecclesiam divinitus conservari.

* Objiciunt 1) verba „columna et firmamentum veritatis" pertinere ad sequens comma: „Et manifeste magnum est pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne." R. Tituli illi pertinent ad ecclesiam, primo quia ante verbum „στυλος seu columna" articulus non ponitur; ante „μυστηριον" autem articulus το ponitur: unde novum ibi indicatur subjectum: — quia secundo sanus sensus non prodit, si verba ista ad versum sequentem trahantur, et veritas esset veritatis columna; omnia autem cohaerent, si tituli isti valent de ecclesia, tanquam domo Dei, cui utique columna et firmamentum bene conveniunt: tertio quia jam Origenes, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Jerosol. verba illa ad ecclesiam referunt. cf. fortgesetzte auserl. Litter. des kathol. Deutschlands. I. B. 4. St.

2) a S. Paulo non designari ecclesiam universam, sed tantum ecclesiam particularem, nempe Ephesinam. R. Ecclesia, quae est domus Dei vivi, est ipsa ecclesia Christi, universalis, per orbem diffusa; non particularis: deinde nulla est ratio, cur S. Paulus de sola ecclesia Ephesina tam magnifice loquatur.

§. 176.

Argumentum biblicum, hactenus expositum, non nullis observationibus illustrasse juvabit.

a) Ex citatis quinque locis sequitur, quod Christus ecclesiae suae respectu religionis suae divinam directionem et assistentiam repetitis vicibus promiserit, et quod Paulus talem directionem ecclesiae tribuerit.

b) Allata textuum interpretatio 1) regulis hermeneuticis est conformis; 2) sapientiae et bonitati Jesu respondet, et 3) indigentiis hominum convenit et satisfacit. Unde eadem semper et ubique recepta fuit et valuit, donec adversarii per criticam, novam exegesin et placita philosophiae planum et obvium sensum obscurare conarentur.

c) Ex his etiam textibus veritas datae notionis de infallibilitate ecclesiae evinci potest. 1) Auctor est Christus Mt. XXVIII. et Spiritus Sanctus Joh. XIV. 2) Subjectum est Petrus Mt. XVI. cum apostolis Mt. XXVIII. et. Joh. XIV. 3. Objectum est genuina et integra Christi doctrina juxta omnes textus: 4) Forma est assistentia seu directio Christi et Spiritus Sancti; et unio Petri et apostolorum: 5) Finis ejus est genuina totius doctrinae christianae cognitio, unitas religionis et augmentum verae pietatis Eph. IV.

d) Effata ecclesiae circa doctrinam Christi sunt 1) judicia Act. XV. 19. quando controversiae deciduntur; 2) testimonia Act. I quia rectores

ecclesiae non novas edunt doctrinas, sed de vera Christi doctrina testantur; 3) magisterium seu institutio Mt. XXVIII. quia integram et genuinam Christi religionem proponunt.

* Objectiones, quas Fel. Ant. Blau sive ex Protestantibus repetit, sive novas adducit, ex ipso argumento facile solvuntur.

** Etsi infallibilitas ecclesiae christianae ex textibus veteris testamenti, quos theologi hinc inde allegarunt, stricte non probetur, ea tamen in illis locis continetur, in quibus de aeterno Messiae regno, et de ecclesia, Messiae sponsa immaculata, sermo est, cf. Oberthür: Idea ecclesiae Dei biblica.

§. 177.

Spectato etiam fine, quem Christus circa religionem et ecclesiam suam intendit, ratio ipsa infallibile magisterium ceu medium omni ex parte conveniens, et omnino sufficiens ac satisfaciens, grata agnoscit et reveretur.

a) Christus rempe totam suam religionem stabilem et universalem fidei, vitae ac spei notrae normam esse voluit, seu voluit, ut fideles omnium temporum ac locorum genuïnam, certam ac uniformem totius suae religionis notitiam hauriant et teneant §§. 153 et 154.

b) Jam vero infallibile magisterium ad istum finem est medium

1) omni ex parte conveniens: homines enim, sicuti alias, ita etiam circa religionem per alios homines instituuntur, et auctoritas, siquidem

legitima et authentica fuerit, praeprimis aptum est criterium: — religionis revelatae notitia ex instituto etiam positivo, et divinitus dato hauriri debet; certitudo autem et unitas aliis mediis pure humanis non obtinetur: — Christo demum, qui religionem, a Patre acceptam, promulgavit, et apostolos certis divinae missionis characteribus instruxit, apprime consentit, ut opus suum tueatur et prosequatur, et doctores a se constitutos forti ac suavi providentia dirigat. Ita Deus singulari modo curam revelatae religionis in periodo patriarchali et mosaica gessit; et religioni revelatae, uti auctor, ita etiam interpres divina auctoritate insignis convenit. Unde jam S. Augustinus de util. cred. c. 26. advertit:" Si providentia Dei non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; sin vero, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam esse, qua velut certo gradu innitentes attollamur"

2) simulque omnino sufficiens et satisfaciens: cum enim ipse Deus per magistros instruat, et religionem a se revelatam adplicet, auctoritati huic divinae omnes et singuli secure credere possunt et debent, et per eam tum recta et certa religionis notitia, tum unitas promovetur. Insuper magisterium ejusmodi non tantum ad docendos omnium locorum ac temporum homines, qui saepe per literas instrui nequeunt, sed etiam ad persuadendum, ad arguendum et commonendum, et ad convincendum valet: quae virtus mortuae literae haud competit.

c) Ergo ratio, quae possibilitatem infallibilis magisterii seu continuae divinae directionis admittere debet, infallibile illud magisterium, a Christo

tam clare et frequenter promissum et ab apostolo assertum, grata agnoscit et reveretur.

* Ildelph. Schwarz et Dobmayer infallibile ecclesiae christianae magisterium ex indigentia fidelium sive ex insufficientia aliorum mediorum inferunt, sicuti ex insufficientia religionis naturalis infertur revelatio. Et profecto ad rectam et certam totius religionis notitiam, eamque semper et ubique uniformem conservandam non sufficit

1) ratio sive sana, sive exculta, cum hic agatur de doctrinis revelatis, et soli rationi imperviis;

2) scriptura et traditio, quia sola litera traditionis et scripturae mortua est et inefficax; sensus autem scripturae et traditionis nonnisi per magnum eruditionis multiplicis apparatum, quem pauci sibi possunt comparare, humanitus esset definiendus:

3) auctoritas doctorum humana: haec enim errori vel dubitationi locum relinquit; adeoque et firmitas et efficacia assensus pateretur, religio ipsa continuis mutationibus subjaceret, et cum detrimento unitatis lites in infinitum extenderentur: et fides tali auctoritati praestita recte cocca fides nominari posset.

4) Optare ergo et a Christi bonitate et sapientia expectare oportet singularem assistentiam sive infallibile magisterium, sicuti etiam in civitate, bene constituta, lex non subsistit sine executore, nec codex sine interprete authentico. cf. Fenelons Religionsgespräch in der neuen Quartalschrift VI. Jahrg. 1. Heft.

** Objectiones, quae ex ratione contra infallibile magisterium fiunt, similes sunt objectionibus contra revelationem fieri solitis, similique modo solvuntur.

§. 178.

Ut status ecclesiae originarius patescat magis, eundem apud apostolos considerare oportet.

a) Apostoli, ab ipso Christo ad aedificandam et propagandam ecclesiam missi, uti a religione, ita etiam ab ecclesia deficere nec voluerunt, nec potuerunt; sed hanc imprimis pro accepta a Christo potestate et jussione magis ad finem Christi juxta institutionem Christi, Act. I, 3. et sub directione Spiritus Sancti explicarunt, ut proin ordinationibus per ipsos introductis insistere oporteat.

* Ecclesia Christi certo loco et tempore incipere, et successive magis propagari ejusque status successive explicari debuit.

b) Apostoli jam, cum ecclesia plures exigeret ministros, ipsique in uno loco subsistere non possent,

1) plures constituerunt ministros summa cum solicitudine, et cum solemnitate, imponentes eis manus et orantes:

2) hosce inter ministros praecipue memorandi sunt episcopi, presbyteri, et diaconi; horum enim mentio frequentior fit tum in scriptura, tum apud Patres apostolicos, et in omni semper ecclesia durat.

3) Horum ergo orginem et indolem considerare oportet.

* Alia ministeria, quae pro adjunctis primorum temporum erant necessaria, postmodum cessarunt. Episcopi autem, presbyteri et diaconi perdurarunt, ab

apostolis originem ducentes: serior enim eorum origo assignari nequit; et S. Epiphanius cum aliis testatur, quod apostoli ex potestate divinitus accepta in urbibus numerosis, ubi plures idonei fuerunt inventi, tres ordines, episcopos nempe, presbyteros et diaconos, constituerint; in aliis duos, nimirum vel episcopos, vel presbyteros cum diaconis.

§. 179.

Inprimis jam tempore apostolorum extiterunt episcopi ita, ut in una civitate unus existeret episcopus cum potestate suprema; idque institutum saltem ex ordinatione divina descendit.

a) Episcopus 1) juxta communem loquendi modum est superintendens seu inspector: 2) In V. T. eadem vox de ministris in regno Messiae Isa. LX, 17. juxta LXX. et de apostolis Ps. CVIII, 8. coll. Act. I, 20. adhibetur: 3) In N. T. rectorem ecclesiae particularis I Tim. III. Tit. I. designat; quo in sensu 4) etiam ab ecclesia accipitur.

* S. Chrysostomus et S. Hieronymus censent, nomen episcopi in scripturis et apud primos scriptores commune fuisse veris episcopis et meris presbyteris. Certum est, successu temporis solos episcopos proprios hoc nomine fuisse designatos, et quamvis fortasse ab initio nomen episcopi a nomine presbyteri non fuerit distinctum, distinctam tamen fuisse potestatem.

b) Extitisse jam tempore apostolorum episcopos, manifestum est ex s. scriptura et ex Patribus apostolicis.

c) Extitit autem unus episcopus tantum in ecclesia quavis particulari, uti constat 1) ex s. scriptura Act. XX, 28. I Petr. V, 2. Apoc. I. II. et III. 2) ex testimoniis patrum apostolicorum, praesertim S. Ignatii, et deinde S. Irenaei l. III, c. 3. „Habemus enumerare eos, qui ab apostolis instituti episcopi in ecclesia, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt:“ et Tertulliani de praescr. c. 32. „Edant (haeretici) origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita ab initio per successores decurrentem, ut ab apostolo, vel viro apostolico derivetur, sicut ecclesia Smirnensis Polycarpum a Joanne, et Romana Clementem a Petro collatum habet: proinde utique et caeterae exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habent.“ 3) ex catalogis ecclesiarum, qui etsi curiositati penitus non satisfaciant, sufficiens tamen praebent argumentum. Sic Petrus teste Irenaeo Linum, et teste Tertulliano Clementem in ecclesia Romana episcopum ordinavit: Paulus Cretensibus Titum, Ephesiis Timotheum, Corinthiis Dionysium, Philippensibus Epaphroditum episcopum dedit: Joannes Smirnae Polycarpum, Hierapeli Papiam, et aliis Asiae ecclesiis alios praefecit episcopos, ad quos in apoc. c. II. et III. jussu Dei ex insula Pathmos scripsit. 4) ex causa Cornelii, et Liberii: cum enim schisma Novatiani contra Cornelium erupisset, Cyprianus graviter contra Novatianum ceu adulterum pugnavit; et cum Constantius Felicem Liberio adjungere vellet, populus Romanus una voce respondit: „Unus Deus, unus Christus, unus episcopus.“

d) Unius episcopi suprema fuit in ecclesia sua particulari potestas ordinis et jurisdictionis: 1) S. Scriptura solos episcopos, ceu rectores ecclesiarum, memorat; in specie Paulus Titum et Timotheum instruit, quomodo se gerere debeant erga omnes ecclesiae socios, et erga ipsos presbyteros. Tito scribit I, 5. „Reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui.“ I Tim. III, 5. „Si is (qui ad episcopatum esset evehendus) domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit?“ V, 19. „Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus;“ v. 22. „Manus cito nemini imposueris:“ 2) ex consensu Ss. Patrum, quos inter S. Ignatius in genuinis epistolis suis eminet; et 3) ex titulis, qui episcopis tribuebantur, et quorum alii ad potestatem ordinis, alii jurisdictionis pertinent. cf. Bingham et Selvagio antiqu. eccl. ubi ad doctrinam, punitionem, administrationem bonorum, literas communionis et clericos attenditur.

e) Episcopi ex divina saltem ordinatione sunt constituti.

1) Etsi Christus apostolos tantum instituerit, et nullibi episcopatum, quatenus ab apostolatu differt, ipse instituisse legatur, potestas tamen episcopalis tum ordinis Mt. XXVIII. Luc. XXII, 19. tum jurisdictionis Jo. XX, 21. a Christo fluit, eamque ad successores transmitti voluit:

2, Apostoli autem, sive acceptis mandatis, uti Clemens Rom. scribit, sive ex sententia Christi, uti Ignatius scribit, egerunt, quando episcopos con-

stituerunt, et successionis ordinem tradiderunt, qui perdurare in ecclesia debeat. Unde et Paulus, qui plures constituit episcopos, eos tamen a Spiritu S. positos esse dicit Act. XX, 28. iisque obedientiam exhibendam praecipit.

3) Consentiunt demum omnes Ss. Patres.

§. 180.

Pariter tempore apostolorum presbyteri extiterunt, quorum institutio ex ordinatione divina descendit.

a) Presbyter 1) etymologice seniorem denotat, et vox eadem ex graeca V. T. versione translata praefecturam ecclesiasticam indicat; presbyteri enim seu seniores, uti S. Hieronymus adnotat, in s. scriptura non ex aetate, sed ex merito et sapientia eliguntur Sap. IV, 8.

2) Lato hoc sensu ipsi apostoli I Petr. V 1. atque episcopi Tit. I. 5, 7. I. Tim. IV, 14. presbyteri vocantur, simul tamen in stricto sensu vox eadem simplicem sacerdotem episcopo subjectum significat I Tim. V, 1, 17, 19. Jac. V, 14.

3) Usu ecclesiastico prestyter est minister ecclesiasticus, ab episcopo distinctus, et medio inter episcopos et diaconos loco positus.

b) Existentia presbyterorum aevo apostolico probatur 1) ex s. scriptura I Tim. v. 17. „Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina“ et v. 19. et Jac. V, 14.

2) ex apertis testimoniis Patrum apostolicorum Clementis Rom. et Ignatii.

* Pau-

* Paulus Phil. I, 1. solos episcopos et diaconos salutat, quia ibi vel nondum constituti erant presbyteri, vel sub nomine episcoporum etiam presbyteri intelliguntur: et I Tim. III. de dotibus presbyteri speciatim non loquitur, quia hac in re presbyter episcopo minor esse non debet.

c) Munus presbyterorum sacrum erat, attamen episcopo subordinatum, uti

1) ex citatis s. scripturae locis, et

2) ex testimoniis S. Ignatii, omniumque Ss. Patrum;

3) ex unanimi ecclesiae oppositione patet contra Aerium, qui presbyteros episcopis aequales esse dixit.

d) Institutio presbyterorum ex ordinatione divina descendit: nam 1) Christus potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis, quae presbyteris competit, ipse instituit:

2) Apostoli, etsi expressum in scriptura non extet praeceptum Christi de separando presbyteratu et episcopatu, vel ex divina inspiratione, vel ex occulto Christi mandato Act. I, 3. presbyteratum ab episcopatu separarunt, quam quidem separationem ipsa ministerii sacri natura et utilitas fidelium commendarunt.

* Ex defectu documentorum dici non potest, quando et ubi institutio ista facta fuerit.

§. 131.

Demum aevo apostolico diaconi ad munus sacrum, ministerio presbyterorum

inferius, ex divina ordinatione fuerunt constituti.

a) Diaconus 1) juxta vocem graecam est minister; unde ipse Christus Rom. XV, 8. diaconus (minister) circumcisionis est, et I Cor. III, 5. apostoli in graeco textu vocantur diaconi Christi, cui fideles credunt:

2) vox ista in Act. VI. et alibi designat classem ministrorum sacrorum, quos apostoli Act. VI. constituerunt:

3) in sensu ecclesiastico diaconi sunt personae ecclesiasticae ordinatae ad ministerium, potissimum episcoporum et presbyterorum, sacra facientium.

b) Institutio diaconorum Act. VI. aperte recensetur, et in epistolis Pauli diaconi memorantur.

c) Munus eorum non mere profanum, sed sacrum colligitur 1) ex s. scriptura, quae insignes in iis dotes Act. VI. et I Tim. III, 8. requirit eosque episcopis adjungit; ritum sacrum — impositionem nempe manuum et orationem — in eorum constitutione memorat, et praedicationem Stephani Act. VII. ac Philippi Act. VIII. et administrationem baptismi refert: 2) ex traditione: Clemens Rom. eos levitis comparat; Ignatius ad Trall. scribit: eos non ciborum et potuum, sed mysteriorum Dei et ecclesiae ministros esse: Cyprianus ad Rogat. diaconos episcopatus et ecclesiae ministros ab apostolis constitutos scribit:

d) Munus autem eorum munere presbyterorum inferius est: nam primi jamjam Patres in ordine ministrorum ecclesiae diaconos con-

stanter ultimo loco ponunt; et cum aliqui diaconi supra presbyteros sese efferre, aut iis pares esse vellent, a concilio Carthag. IV. et Arelatensi et a S. Hieronymo reprehensi sunt.

* Optatus Milev. episcopos, presbyteros et diaconos vocat sacerdotes, eoquod tres hi ordines sacerdotium participent; diverso tamen gradu, uti ipse advertit.

e) Ordinatio divina intelligitur 1) ex eo, quia apostoli in constituenda Christi ecclesia ex potestate a Christo accepta agebant et a Spiritu Sancto dirigebantur; 2) quia natura ministerii sacri circa potestatem ordinis tales ministros exigebat; et 3) quia S. Ignatius cum consensu aliorum Patrum id docet.

§. 182.

Datur ergo in ecclesia Christi discrimen inter laicos et clericos, et inter hos hierarchia.

* Utrumque hujus propositionis membrum ex instituto in jure ecclesiastico tractatur.

a) Discrimen inter clericos (ministros sacros) et laicos, sive meros fideles 1) ab ipso Christo jam est fundatum, qui solos apostolos ceu doctores, mysteriorum administratores et rectores constituit, reliquos autem discentes, suscipientes et regendos voluit esse; 2) ab apostolis magis determinatum, et 3) per canones ecclesiae et decreta principum magis conspicuum et splendidum fuit redditum.

* Jura et privilegia clericorum, ab hominibus data, absolute quidem auferri possunt; sed cum titulis justis sint acquisita, et juste possessa, promiscue non sunt auferenda. cf. Schwarz 3. Th.

b) Hierarchia — seu sacer principatus — 1) usu ecclesiastico est series ministrorum sacrorum, quorum alii super alios potestate stabili eminent: et duplex est, ordinis et jurisdictionis, quia duplex etiam est ecclesiae potestas, una ad administranda sacra, alia ad regendos fideles.

2) Hierarchia ordinis, divina ordinatione constituta, constat episcopis, presbyteris et diaconis: hierarchia autem jurisdictionis constat pontifice seu primate, episcopis et presbyteris. Ostensum enim fuit, gradus illos sacrae potestatis divina ordinatione fuisse constitutos; ipsaque ratio ejusmodi gradus ministerii sacri in amplissima Christi ecclesia requiri intelligit.

* Etsi nomen hierarchiae in sacris literis non extet, res tamen ipsa ibidem traditur.

§. 183.

In exposito hactenus ecclesiae statu

a) nihil est, quod Acatholicos jure offendat; 1) habet enim is fundamentum in scriptura: 2) ab apostolicis viris fuit custoditus; et 3) conducit ad finem ecclesiae:

b) sed potius inde elucet sapientia, bonitas et potentia Christi.

* Primis ecclesiae temporibus potestas sacra in toto suo ambitu sese exerere, et ostendere non potuit: testimonia tamen, hac super re adducta, cordato cuivis et modesto satisfaciunt.

** Ziegler et Bellermann dicunt, primitus christianos in democratica unione vixisse, ex ea successive dioecesanum, tum metropolitanum, deinde patriarchicum, et demum papale systema prodiisse. Verum uterque assertiones istas polemicas sine testimoniis sufficientibus in favorem systematis protestantici profert. Profecto nisi inaequalitas inter episcopos, presbyteros etc. et meros fideles ab ipso jam exordio et ex divina ordinatione adfuisset, explicari prorsus non posset, quomodo ea tam cito, et ubique inter christianos sit recepta.

Caput II.

Perduratio status originarii in ecclesia catholica.

§. 184.

Status ecclesiae originarius cum deficere non possit, indagandum modo est, ubi perduret.

a) Status ecclesiae a Christo constitutus non potest deficere

1) ob promissionem Christi: Christus enim, cujus regnum Luc. I, 33. non habet finem, aperte promisit Mt. XVI. portas inferi adversus ecclesiam, qualem ipse aedificaret, non esse praevalituras, et se cum ecclesia sua futurum esse Mt. XXVIII. 20. omnibus diebus usque ad consummationem saeculi:

2) ex factis et dictis apostolorum; qui coetibus, ubique a se collectis, episcopos, doctrinae custodes, et rectores II. Tim. II, 2. praeficiunt,

et futurae successionis regulas tradunt; Paulus inprimis Hebr. XIII, 8, 9. scribit: „Jesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci:“ I Cor. XI, 26. eucharistiam celebrandam dicit, donec Christus veniat, et finem oeconomiae christianae I. Cor. XV, 24. cum fine mundi conjungit; perenne evangelium temporariae Mosis legi opponit et inde praerogativam religionis christianae infert II. Cor. III, 11. „Si enim, quod evacuatur, per gloriam est; multo magis, quod manet, in gloria est:“ demum I Cor. XIII, 9. sqq. docet, perfectiorem religionis notitiam in hac terra non esse sperandam.

3) Ratio ipsa agnoscit, statum ecclesiae hactenus expositum perennibus hominum indigentiis semper et ubique respondere, et constanti pollere aptitudine ad finem Jesu Christi promovendum.

* Huic veritati adversantur 1) Donatistae, qui dicebant, ecclesiam tempore Caeciliani defecisse, et in paucis justis in Africa perdurasse, quos Optatus Milev. et Augustinus refutarunt: 2) Sociniani et Arminiani, qui dicunt, ecclesiam penitus deficere posse. Ast huic asserto, quod de naturali ordine rerum valet, aperta Christi promissio obstat. 3) Calviniani juxta Turretinum, et Lutherani juxta Gerardum docuerunt, ecclesiam invisibilem quidem nunquam deficere, attamen visibilem ita obscurari posse, ut, ubinam existat, agnosci non possit. Cui sententiae, quam acatholici ad tegendam novitatem suam contra illud — Heri non fuistis — excogitarunt, promissio Christi etiam repugnat, utpote quae de visibili ecclesia agit. 4) Nostra aetate non pauci docent, substantiam tantum religionis salvam esse servandam; reliqua omnia esse adia-

phora. Verum enimvero nobis nullatenus licet contra unitatem fidei, et contra statum ecclesiae, quem Christus ipse determinavit, asserere, quod hi tantum, vel illi articuli sint essentiales. Christus aut integer assumendus est, aut nullus assumitur; dein haec talis sententia Christo injuriam infert, et pacem, quam praetendit, nequaquam procurat. cf. Sambuga adversus Dr. Car. Fuchs: „Untersuchung über das Wesen der Kirche. Linz 1809. 5) Kantiani statuunt: quod positiva omnis institutio, introducendae apud populum rudem religioni apta, naturali religioni apud adultam rationem, et ad majora eluctantem tandem cedere debeat. Ast ubi divina loquitur auctoritas, tacere debent omnes ingenii humani conjecturae; et sicut ecclesiam nos non fundavimus, ita ejus statum pro nostro judicio mutare non possumus. Deinde ea, quae circa rem christianam positiva sunt, hodiedum ad illustrationem, emendationem, et felicitatem generis humani conducunt. Demum prophetia Kantii nullo indubio charactere insignitur; Christus autem is est, cui fidere omnino possumus; et sicut miro modo ecclesiam suam hucusque conservavit, ita usque ad consummationem saeculi eam conservabit.

b) Indagandum ergo est, ubi perduret 1) Petrus, 2) ubi perdurent apostoli, et 3) veri fideles.

c) Perdurationis autem hujus testis est constans et universalis sensus christianorum, cui, cum de legali societate christiana quaeritur, jam juxta regulas criticae magna competit auctoritas, major autem adhuc ex promissione Christi Mt. XVI.

* Omnes status originarii partes successive comparere in mundo debuerunt, et primis temporibus tum prop-

ter ipsam suam, ut ita dicam, aetatem primam, tum propter adjuncta externa in toto suo ambitu sese exerere nec potuerunt, nec etiam debuerunt.

Sectio I.

Perduratio primatus Petri.

§. 185.

Inprimis primatus S. Petri in vera Christi ecclesia perdurare, ac proin legitimus S. Petri successor dari debuit.

a) Primatus enim ad essentiam ecclesiae christianae pertinet, adeoque stabilis esse debet, 1) quia juxta Christi promissionem ecclesia ceu aedificium sine fundamento, ceu regnum sine clavigero, ceu grex sine pastore esse non potest; 2) quia ad finem ecclesiae, unitatem nempe, primatus ceu centrum et fulcrum unitatis, est necessarius.

b) Successor S. Petri in primatu proin dari debuit, quia S. Petrus mortem, quam Christus Jo. XXI. ei praedixerat, obiit.

* Post mortem apostolorum, qui omnes et singuli, a Spiritu S. directi, tum fide integra, tum sanctitate erant conspicui, primas pro unitate servanda eo magis fuit necessarius propter amplitudinem ecclesiae per universum orbem dispersae, propter multitudinem christianorum, et propter eorum indolem; sensim etenim mores et sensus christianorum a prima simplicitate, et animi rectitudine recedebant.

§. 186.

Legitimus S. Petri in primatu successor est Romanus pontifex rite electus —

a) ex naturali successionis lege: 1) Petrus enim, postquam Jerosolymis, Alexandriae, et Antiochiae praedicaverat, Romam venit, ibi episcopatum fixit, et qua primas regendae ecclesiae ibidem immortuus est.

* Factum hoc, ex authenticis testimoniis manifestum, in dubium vocari nequit, et a cordatis Acatholicis defenditur.

2) S. Petro igitur in primatu succedit, qui post eum Romae rite fuit electus episcopus, et hodiedum rite eligitur: ibi enim successor quaeri debet, ubi antecessor moriens gradum suum dimisit.

* Ergo nec Alexandrinus, nec Antiochenus episcopus Petro in primatu successit.

b) Constanter Romani Pontifices, quos inter — primis praesertim saeculis — plerique sanctitate erant insignes et doctrina, a Lino vel Clemente usque ad Pium VII. sese pro successoribus S. Petri — nemine reclamante — habuerunt, et ab universa ecclesia ceu successores S. Petri fuerunt agniti.

* De interregnis et schismatis nihil moramur; successio enim moraliter, non physice accipi debet: et unus tantum vere primas ecclesiae fuit. De tempore autem pontificum Avenionensium valet illud Veiis habitante Camillo, illic Roma fuit.

c) Omnes Romanorum pontificum catalogi constanter S. Petrum primo loco ponunt.

* Scriptores quidem in ordine primorum S. Petri successorum non consentiunt; sed notandum est, 1) chronologiam primae aetatis non satis certam esse 2) propter penuriam documentorum et varias lectiones antiquis codicibus illatas omnem difficultatem tolli non posse; 3) substantiam apud omnes scriptores constare, et 4) primos pontifices brevi tempore primatum gessisse, et incertum esse, quo quisque eorum tempore mortem obierit. Quare epocha Ss. Lini, Clementis et Cleti non multum a se potuit discrepare, et a nobis accurate definiri non potest. cf. Cave hist. litt. script. eccl. P. I. p. 27.

d) Fides ista, quae semper et ubique viguit, quod Romani pontifices legitimi sint S. Petri successores, jure exinde derivatur, quia ipse S. Petrus successorem suum determinavit, uti cum S. Irenaeo et Tertulliano multi alii referunt.

* Eleganter Brandmeyer l. c. p. 222. observat: „Non absque singulari Dei providentia factum est, ut Petrus, unitatis catholicae centrum, et communionis medium, Romae, quasi in meditullio Orientis et Occidentis, atque in metropoli Romani imperii, ad quam omnes in toto terrarum orbe gentes confluebant, sedem figeret, eam proprio irrigaret sanguine, et usque ad mortem ibi perseverans episcopus, martyrio demum coronatus, ecclesiae gubernacula relinqueret illis, quos ipse instituebat, successoribus.“

§. 187.

Itaque cum successor ex jure sociali omnem antecessoris sui potestatem accipiat, certe Romano pontifici primatus non honoris tantum et auctoritatis, sed etiam jurisdictionis competit.

a) Romani pontifices, primis jamjam saeculis, licet ab ambitione alieni, primatum jurisdictionis, ceu divinitus datum, exercuerunt: nam

1) unitatem ubique urgent et vindicant: sic Anicetus sec II. cum Polycarpo egit, et Victor Policrati et aliis Asiae episcopis, pascha contra morem ecclesiae die 14 lunae celebrantibus excommunicationem intentavit. Quare S. Irenaeus, Victorem a tanta severitate dehortaturus, rogavit, ne integras ecclesias a communione abscinderet: sic Stephanus restitit Cypriano aliisque Africae episcopis, qui baptizatos ab haereticis rursus baptizandos volebant: sic Cornelius schisma Novati et Felicissimi repressit.

2) integritati fidei ubique invigilant, et refractarios puniunt: S. Hyginus Cerdonem, S. Pius I. Marcionem, Victor Noetum reprobavit; S. Zephyrinus errores Marcionis, Sabellii et Valentini rejecit; S. Fabianus scriptis epistolis curavit, ne ecclesia per errores Privati turbaretur; S. Stephanus S. Cypriani et ipsius concilii Africani sententiae se opposuit: S. Dionysius Rom. non solum Pauli Samosateni errorem damnavit, sed ipsum S. Dionysium, patriarcham Alexandrinum, anno 260 monuit et ad defensionem vocavit, cum is a malevolis quibusdam coram S. Dionysio Rom. esset accusatus.

3) Canones pro disciplina condunt et urgent: huc spectant epistolae decretales, primis jam saeculis, tum ad episcoporum consultationes, tum in aliis casibus editae; decretum edidit S. Zephyrinus, quomodo circa lapsos res sint agendae etc.

* Exercitium hoc memorabile est, quia a viris sanctitate conspicuis, non in occidentali tantum, sed et

orientali ecclesia, viventibus adhuc viris apostolicis, ante decretales Isidori factum est — non ex favore principum, vel conciliorum, non ex ambitione, sed ex officio. Magnificentiora ejusdem specimina exigi non possunt ob defectum documentorum ex illa aetate; ob statum nascentis, pressae et undequaque persecutionibus expositae ecclesiae; et ob fervorem et sanctitatem plerorumque episcoporum: primi enim pontifices eodem agebantur spiritu, quo ductus est S. Gregorius M. scribens Joanni Syracusano: „Siqua culpa in episcopis invenitur, nescio, quis ei (sedi apostolicae) episcopus subjectus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sumus.“ Subsequo tempore pontifices Romani in ipsos patriarchas orientales data occasione frequentius primatialem potestatem suam exercuerunt.

b) Pariter universa ecclesia semper primatum Romani pontificis agnovit, ita ut sedes Romana quasi publicum totius orbis christiani tribunal esset:

1) Ecclesia dispersa quidem continuo recursu in rebus dubiis majoris momenti: sic ecclesia Corinthiaca, superstite adhuc S. Joanne, ob exortum schisma non ad propiorem ecclesiam Ephesinam, sed ad Romanam recurrebat; et accepta a S. Clemente epistola omnia dissidia, ibidem composita, quieverunt: S. Polycarpus, discipulus S. Joannis, teste S. Hieronimo de script. eccl. c. 17, „propter quasdam super die paschatis quaestiones, ecclesiam in urbe regente Aniceto, Romam venit.“ S. Irenaeus eadem de re cum Victore, Cyprianus in causa lapsorum, et schismatis cum Cornelio egit: — dein omnes, qui se injuste oppressos putabant, illuc confugerunt; ita Marcion,

a patre suo exclusus, ad S. Pium confugit, Fortunatus ad Cornelium: S. Dionysius Alexandrinus, injuste accusatus, apologiam suam misit ad S. Dionysium Rom. item Cyprianus ad Cornelium etc. demum expressa hac super re extant testimonia S. Irenaei l. III. scribentis: ad ecclesiam Romanam omnes, quae undequaque sunt, ecclesias convenire debere propter potiorem ejus principatum:" S. Cypriani ad S. Cornelium: „Hortati sumus, ut ecclesiae catholicae matricem et radicem (ecclesiam Romanam) tenerent:" — item „Navigare audent (schismatici) ad Petri cathedram, et ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est:"

* Legi et expendi merentur, quae de S. Cypriano traduntur in lib. „Haller und Tzschirner von Dr. Irenius Eupistinus." Mainz 1822. et „Litteraturzeitung von H. von Mastiaux. Landshut 1822. N. 57 — 60.

** Saeculo IV et V. illustriora adhuc extant exempla patriarcharum orientalium S. Athanasii, Pauli CP. S. Chrysostomi ad Romanos pontifices Julium et Innocentium confugientium et per eos sedibus suis restitutorum. Unde recte asserit S. Augustinus: „In Romana cathedra semper apostolicae cathedrae viguit principatus."

2) Ecclesia dein congregata in conciliis tum particularibus tum generalibus primatum Romani pontificis tum in convocatione, tum in celebratione, tum in relatione ad pontificem et petita ab eo confirmatione satis clare agnovit, uti evidenter ostendit auctor libri: „Was glaubte von jeher die allgemeine und besonders die französische Kirche von dem Bischofe zu Rom. Notandum insuper, priora concilia

generalia in oriente propter, quin imo contra patriarchas orientales fuisse habita.

c) Praecipue unio cum Romano pontifice semper pro charactere veri christiani fuit habita; uti ex testimoniis S. Irenaei l. III. S. Cypriani ad Cornelium; „ut te universi collegae nostri, et communicationem tuam, id est, catholicae ecclesiae unitatem pariter et charitatem probarent firmiter, et tenerent, praesentes ad te literas direximus:“ et S. Optati Milev. patet, lib. II. contra Parmen. ubi, ut probaret, se et suos cum omnibus universi orbis ecclesiis communione esse conjunctos, dicit, se suosque cum Siricio Papa communicare, „cum quo totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.“ cf. Brandmeyer l. c. p. 217. ubi ex verbis S. Leonis modus servandae illius communionis indicatur.

§. 188.

Corollaria. I. In ecclesia catholica inde a Clemente I. (vel Lino) usque ad Pium VII. S. Petrus perduravit.

a) Perduratio ista adeo certa christianis fuit, ut 1) ab exordio ecclesiae data quavis occasione ab omnibus ecclesiis, et christianis agnosceretur; 2) et tum demum ab aliquibus potestas primatialis Romani pontificis negaretur, ubi Romanus pontifex ex officio eos corrigeret: 3) Primus, qui primatum Romani pontificis cum effectu impugnaret, fuit Photius sec. IX. invasor sedis Constantinopolitanae a Nicolao I. et Hadriano II. reprobatus; et postea Michael Caerularius saec. XI. 4) Ad initium saec. XV. Wi-

clef et Jo. Huss, cum damnati fuissent ipsorum errores, contra pontificem insurrexerunt. 5) Saec. XVI. Zwinglius, Lutherus et Calvinus etc. a sede Romana reprobati auctoritatem Romani pontificis sunt inficiati, dicentes ipsum esse Antichristum.

* Nostro adhuc aevo acatholici injusto odio pontifices persequuntur; et inter catholicos etiam non desunt, qui primatui derogare conentur.

b) In perduratione ista singularis cernitur Dei providentia, si 1) conservatio ecclesiae Romanae, undequaque pressae, corruentibus aliis ecclesiis; 2) si series pontificum, et 3) fata Pii VI. unacum electione et fatis Pii VII. considerentur.

* Post mortem Pii VI. Petrus Wolf Lipsiensis principes ad supprimendum primatum excitare studuit, opportunum ratus adesse tempus. Verum ipse Schoenemann Goettingae eidem dissertationem opposuit „de Romano pontifice, Roma non libera, valide eligendo:“ et Deo propitio Pius VII. electus est.

II. Primatus Romani pontificis est primatus jurisdictionis

a) amplissimus quidem, quia ad omnes Christi fideles, ad oves et agnos Christi, ad integritatem et unitatem universae ecclesiae dirigitur;

b) non tamen illimitatus; sed restrictus ex fine et verbis Christi, et juxta canones ecclesiae.

* In jure canonico jura primatus essentialia seu primigenia, quae ex verbis Christi immediate fluunt, et ad unitatem servandam necessaria sunt; et accidentalia seu secundaria magis evolvuntur.

III. Primatus iste a) ex jure divino est: Christus enim eum instituit: et

b) in sede praecise Romana vel ex naturali successionis ordine, vel ex facto Petri obtinet.

* Illustrior illa pontificis dignitas externa et potestas civilis a) justis titulis est acquisita; b) fidelibus vivum magis auctoritatis pontificiae et reverentiae ei debitae sensum ingerit, c) multumque servit, ut pontifex muneri suo gravissimo magis expedite, independenter et majori cum efficacia satisfacere possit.

** Primatum sedi Romanae affixum esse, plurimum expedit, ne incertus sit, et litibus obnoxius locus patris communis; nec ulla cernitur immutationis vel necessitas, vel utilitas.

IV. Communio cum Romano pontifice est character veri christiani:

a) Verus enim christianus a fundamento et a pastore divinitus constituto separari non potest. Unde universa semper ecclesia sedem Romanam ceu centrum unitatis agnovit, ipsique novatores ejusdem communionem solicite quaesiverunt.

b) Haec communio 1) in consensu circa res religionis potissimum consistit; in rebus enim disciplinae pro diversis adjunctis diversitas aliqua esse potest; et 2) ita obtinetur, ut fideles cum suis parochis, hi cum episcopis, episcopi cum archiepiscopis aut patriarchis, patriarchae cum sede Romana sint immediate uniti, sicque omnes fideles mediantibus sedibus majoribus cum pontifice communicent, uti jam S. Leo advertit.

* Obji-

* Objiciunt: 1) S. Gregorius M. nomen „episcopus oecumenicus“ recusavit; adeoque primatum sibi competere non judicavit. ℟. Ex humilitate, et eo sensu hoc nomen recusavit, ac si ipse solus esset episcopus: in hac ipsa tamen causa cum Joanne jejunatore et in aliis casibus plurimis primatialem potestatem et dictis manifestavit, et factis.

2) Primatus paci et bono civili obest. ℟. Equidem aliqui pontifices non nunquam potestatem suam ad res etiam politicas nimis extenderunt. Verum teste historia eodem tempore principes potestatem in res ecclesiasticas et jura pontificia usurpabant: deinde facta illa pontificum non ex ipsa primatus natura descenderunt; quinimo Christus primati et episcopis eximias praescripsit regulas, quibus servatis nullum potestati politicae periculum immineret: demum a pontificia potestate insignia ad omnes regiones emanarunt emolumenta: pontifices enim propagandae ad omnes nationes religioni, eique conservandae cum effectu optimo studuerunt etc. regibus et principibus, potestate sua abutentibus, se opposuerunt, et sic varias calamitates a populis averterunt.

3) Propter primatum unio Acatholicorum cum Catholicis impeditur. ℟. Aversio ista a pontifice ex erroneo et terribili conceptu, quem Protestantes de Romano pontifice habent, descendit. Si Protestantes genuinam primatus notionem sibi vellent comparare, omnes aversionis illius causae evanescerent. Et profecto apud Acatholicos vel consistoria vel principes politici similem exercent potestatem: et magni nominis viri, uti Hugo Grotius, Leibnitius et recentissime Jenisch et Kirchhof papalem potestatem utilem aut omnino necessariam praedicarunt.

Sectio II.

Perduratio potestatis apostolicae.

§. 189.

Non solum primatus Petri, sed et reliquorum Apostolorum potestas in vera Christi ecclesia perdurare debet; et eorum successores dari debent.

a) Christus enim hanc quoque potestatem ipse instituit: deinde potestas ista ad finem religionis et ecclesiae usque ad finem mundi duraturae semper est necessaria, ad docendam nempe religionem Mt. XXVIII, 19, 20. ad celebrandam s. eucharistiam Luc. XXII, 19. et ad regendos fideles Jo. XX, 21. coll. Eph. IV.

b) Successores ergo apostolorum in vera Christi ecclesia dari debent: nam apostoli soli tanto et tam amplo muneri non sufficiebant, et postea omnes mortui sunt.

§. 190.

Apostolorum successores sunt episcopi rite ordinati.

a) Episcopi enim sese apostolorum successores esse semper asseruerunt — nemine reclamante:

b) omnis etiam ecclesia eosdem ceu tales agnovit. S. Clemens Rom. scribit: „quod Apostoli episcopos constituerint, et sic futurae successionis regulam tradiderint.“ Tertullianus de praescr. c. 32.

hanc successionem ceu characterem verae ecclesiae assignat, uti et S. Irenaeus l. 3. c. 3. „Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos.“ S. Cyprianus episcopos expresse nominat successores apostolorum.

c) Sensus iste inde est ortus, quia ipsi Apostoli episcopos — unum in una ecclesia — constituerunt, et postea constitui jusserunt cf. §. 179.

* Modus eligendi episcopos diversus esse potest, utpote a jure divino non determinatus; ordinatio autem episcoporum quoad substantiam eadem semper fuit.

** Etsi episcopi donis Apostolorum extraordinariis nunc non amplius sint instructi, et non raro a moribus Apostolorum recesserint; apostolicam tamen potestatem semper tenuerunt.

§. 191.

Episcopis itaque ordinaria Apostolorum potestas tam ordinis, quam jurisdictionis competit

a) ex naturali successionis lege;

b) ex S. Paulo, qui Act. XX, 28. episcopos positos dicit ad regendam ecclesiam; I. Tim. IV, 16, II Tim. I, 13. sq. II, 2. S. Timotheum monet, quomodo sanam doctrinam tradere et conservare ex officio debeat: et S. Titum I, 5. jubet, ut per civitates constituat presbyteros; et utrumque instruit, quo modo ecclesias suas regere debeant etc.

c) Episcopi utramque illam potestatem semper exercuerunt: integritati enim doctrinae invigi-

larunt, omnia sacramenta administrarunt, leges tulerunt, libros vel probarunt vel reprobarunt etc.

d) Universa ecclesia eandem agnovit, uti ex testimoniis S. Ignatii et S. Cypriani, qui unionem omnium fidelium cum suis episcopis pro essentiali veri christiani charactere assignant, et ex omni historia ecclesiae patet. cf. Unterkirchner „die ächten Schriften der apostol: Väter" Innsbruck 1817 et Binterim „Epistolae catholicae." Düsseldorpii 1819.

§. 192.

Corollaria. I. In ecclesia catholica per 18 saecula perdurat potestas Apostolorum; qua in perduratione uti providentiam Christi. ita etiam veritatem ecclesiae cernere licet.

II. Potestas episcoporum amplissima est vi naturalis successionis in universam ecclesiam; exercitium tamen hujus potestatis certis dioecesium limitibus prudenter est circumscriptum.

III. Episcopi a) jure divino sunt aequales, ceu successores Apostolorum; inaequalitas tamen aliqua jure merito fuit introducta ad bonum ecclesiae:

b) Romano pontifici sunt subordinati; unde communio episcoporum cum pontifice semper pro charactere veri episcopi fuit habita, et relationes ab episcopis ad pontificem fieri debuerunt;

c) presbyteris tamen superiores; nam 1) unus tantum in una civitate fuit episcopus cum pluribus presbyteris:

2) episcopus omnia sacramenta potest administrare, non item presbyter;

3) episcopi potestatem jurisdictionis in utroque foro, presbyteri tantum in foro interno habent etc. et

4) in iis etiam, quae presbyter cum episcopo communia habet, ab episcopo dependet.

IV. In ecclesia catholica, semper extitit hierarchia, divina ordinatione constituta: a) ordinis nempe, quae constat ex diaconis, presbyteris et episcopis: b) jurisdictionis, quae constat presbyteris, episcopis et pontifice.

* Huic hierarchiae, ex divina ordinatione constitutae antiquissimis jam temporibus alia accessit ex ordinatione ecclesiastica, quae jure reprehendi non potest, quia ex potestate legitima et justis ex titulis orta est, et ad finem ecclesiae felicius promovendum conducit.

§. 103.

Cum praerogativa S. Petri et cum potestate Apostolorum infallibile etiam magisterium in ecclesia catholica semper perduravit. Hanc enim infallibilem in docenda, definienda et conservanda Christi religione auctoritatem, quae in perpetua Dei assistentia fundatur, ecclesia catholica inde a primis saeculis

a) agnovit: 1) Patres apostolici, S. Clemens Rom. et praesertim S. Ignatius unitatem et puritatem fidei ac charitatem christianam ubique inculcant: omnemque innovationem in rebus fidei et ecclesiae solicite fugiendam jubent; utrumque autem

obtineri posse et debere docent, si fideles episcopo adhaereant, ejusque sententiam sequantur. „Filii lucis et veritatis fugite divisiones . . . ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini.“ Quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo.“ ad Philad. 2. 3. „Jesus Christus inseparabilis nostra vita, Patris est sententia; ut et episcopi per terrae terminos definiti et Jesu Christi sunt sententia.“ . . „Quemcumque mittit Paterfamilias ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat, ut ipsum Dominum.“ ad Ephes. 3, 6. cf. Trall. 7. Magnes. 1. etc.

* Haec jam monita et effata plenam sortiuntur vim, quia divina assistentia rectores et fideles ipsis adhaerentes ab errore in doctrina Christi praeservat.

2) Deinde saec. II. et III. S. Irenaeus pluribus locis asserit, unice ab ecclesia petendam esse veritatem; in ecclesia depositam esse communionem Christi, id est, spiritum sanctum, arrham incorruptelae; eos, qui non currant ad ecclesiam, non participare spiritum Dei et veritatem; eosque non esse fundatos super unam petram: sed super arenam habentem in se lapides multos. Unde et l. 5. c. 20. scribit: „Confugere ad ecclesiam oportet, et in ejus sinu educari, et dominicis scripturis enutriri.“

Tertullianus de praescr. c. 28. scribit: „Age nunc: omnes (ecclesiae) erraverint; nullam respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius,“ sinens eccle-

sias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per apostolos praedicabat?“

Origenes in Matth. opp. tom. III. p. 865. ed. Bened. „Propterea non debemus attendere eis, qui dicunt: ecce hic est Christus! non autem ostendunt eum in ecclesia, quae plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, quae plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis, in qua tota totus est adventus filii hominis dicentis omnibus, qui ubique sunt: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“

3) Opus non est reliquos, qui subsecuti sunt, Patres proferre, quum ipsi adversarii nostri concedant, ab illis asseri perpetuam Dei assistentiam ecclesiae competentem.

b) eandem auctoritatem ecclesia semper exercuit: 1) primis jamjam saeculis ecclesia confecit symbola pro fidelibus: 2) ortis quibusvis erroribus et haeresibus episcopi sese opposuerunt; et quicumque prolatae definitioni acquiescere noluit, ab ecclesia exclusus est: 3) ubi dein saeculo IV. pax ecclesiae data fuerat, non tantum particularia, sed etiam generalia concilia celebrata sunt, quorum decreta ceu oracula Spiritus Sancti et ceu norma fidei ab episcopis sunt edita, et a fidelibus recepta ita, ut qui iis consentire noluerit, a vera fide aberrasse censeretur.

* Primis ecclesiae temporibus opus non fuit, ut frequenter et solemniter ad assistentiam Spiritus Sancti provocaretur, quia recens Apostolorum memoria, deinde traditio facillime et purissime custodita, et ipsum primorum christianorum studium pro integritate fidei et unitatis adhuc magis vigens oberant.

quo minus errores et dissensiones longius et latius serperent.

** Auctor libri „Kritische Geschichte der kirchlichen Unfehlbarkeit“ auctoritatem rectorum ecclesiae in materia religionis successive invaluisse, et sero demum ex promissione Christi roboratam fuisse asserit. Verum ex citatis S. Jgnatii aliorumque Patrum testimoniis manifestum est, quod in primitiva jam ecclesia episcopis omnimoda in materia religionis auctoritas fuerit tributa ex eo potissimum titulo, quia episcopi ab ipso Christo ad servandam religionem sunt ordinati. Observandum insuper, quod auctor citatus 1) ea, quae contra infallibilitatem adducit, ex protestanticis duntaxat scriptoribus afferat; 2) in referendis Ss. Patrum sententiis sincere non agat, quia non raro verba Ss. Patrum, opinioni ipsius minus faventia aut omittit, aut omnino mutat 3) quod ex factis quibusdam deducat, quae inde non sequuntur, non distinguens inter factum et inter jus: et 4) quod universalem ecclesiae fidem a scioribus scholae controversiis non discernat. cf. egregiam operis istius recensionem a P. Ildelph. Schwarz adornatam „fortgesetzte auserlesene Litteratur des katholischen Deutschlands.“ I. B. IV. St.

Sectio III.

Perduratio verorum christianorum.

§. 194.

In ecclesia catholica semper fuerunt, et adhuc dum sunt veri christiani.

a) Ex hactenus dictis veri sunt Christiani, 1) qui religionem Christi totam ob divinam Christi

auctoritatem animo suscipiunt et tenent, eamque susceptione baptismi profitentur, et sub obedientia erga episcopos et inprimis erga summum pontificem exercent; seu 2) qui unitatem omnimodam, a Christo praescriptam, illibatam tenent, ita ut omnes ubique in fide, in charitate et in substantia cultus externi consentiant; ut fideles suis presbyteris et episcopis uniantur, et unacum pastoribus suis uni pontifici, ceu capiti, patri communi et magistro subsint.

b) Jam vero lex ista unitatis prima semper et fundamentalis lex fuit ecclesiae catholicae; in eaque omnia servandae unitatis media, ab ipso Christo ordinata, semper viguerunt: nam

1) Clemens Rom. et Ignatius, unitatis apostolus; deinde Irenaeus, Clemens Alex. Tertullianus et Origenes legem hanc apertis verbis urgent: et quamprimum in primis jam saeculis vel innovatio in doctrina, (haeresis) vel dissidium in regimine (schisma) oriebatur, episcopi catholici cum Romano pontifice sese opposuerunt, et tum integritatem fidei, tum concordiam restaurare et custodire contenderunt: ita restitit S. Cyprianus Novatiano, Ss. Optatus Milev. et Augustinus Donatistis, S. Hieronymus Luciferianis etc.

2) In specie ecclesia requirit unitatem internam: „Fides enim, ut ait S. Ambrosius, ecclesiae fundamentum est:“ et „eadem fide, ait Tertullianus, unam omnes probant unitatem; et interna charitate externum vinculum fulcitur:

externam; „nulla enim esset securitas unitatis, nisi pateret:“ uti scribit S Augustinus l. III. contra Parmen:

unionem fidelium cum suo episcopo: nam „ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens:“ et „qui cum episcopo non est, in ecclesia non est.“ S. Cyprianus ep. 69.

unionem pastorum inter se: „Episcopatus unus est, cujus pars a singulis in solidum tenetur: „S. Cypr. ep. ad Antoninum: et „copiosum corpus sacerdotum est concordiae mutuae glutine, atque unitatis vinculo copulatorum; ep. 68.

unionem omnium ecclesiarum cum Romano pontifice necessariam dixit S. Irenaeus; et S. Cyprianus ecclesiam Romanam vocat „principalem, unde unitas sacerdotalis orta est:“ et Optatus „unam cathedram, in qua unitas ab omnibus servaretur.“

c) Catholici ergo sunt veri christiani utpote qui unionem a Christo praescriptam semper tenuerunt; et religionem Christi tum animo susceperunt, tum susceptione baptismi professi sunt; ac ad finem a Christo declaratum communi religionis studio sub obedientia erga episcopos et erga Romanum pontificem contenderunt.

* Catholici 1) sunt christiani, non ab hominibus, uti Marcionitae aliique; sed a Christo per Apostolos: et 2) vocantur catholici, ut ab haereticis discernantur, qui seriori tempore orti sunt, haeresin suam in una alterave provincia seminarunt, et ad tempus tantum aliquod servare potuerunt.

§. 195.

Operae pretium est, ut ad propositionem illustrandam brevis theoria de membris ecclesiae subjungatur.

a) Membrum ecclesiae is dicitur, qui lege ecclesiae sociali tenetur, eam profitetur et exequitur; 1) perfectum quidem, si ecclesiae interne et externe adhaereat; 2) imperfectum autem, si vel interne tantum, uti catechumeni, vel externe tantum, uti peccatores eidem adhaereat. -

* Parvuli baptizati etsi officia christiana opere ipso explere nondum possint, salutis tamen christianae sunt capaces.

b) Ecclesiae christianae et visibilis membra sunt non soli praedestinati et electi, sed etiam reprobi; uti ecclesia contra Wicleffum et Calvinum; non soli justi, sed etiam peccatores; uti adversus Donatistas, justo rigidiores et arrogantes cum S. Augustino docuit, et hodiedum docet. Profecto 1) Christus ipse ecclesiam suam comparat agro, in quo Mt. XIII. zizania tritico sunt immixta; sagenae, in qua pisces boni et mali sunt etc. 2) ecclesia invisibilis efficeretur, si solis praedestinatis et justis constaret: hos etenim dignoscere non licet: 3) Christus peccatores ad ecclesiam deferendos dicit; jam vero quod si peccatores non amplius ad ecclesiam pertinerent, accusari et a rectoribus ecclesiae judicari non possent. 4) Praeterea S. Joannes nos omnes peccatores esse docet.

c) Ecclesiae membra non sunt, qui 1) ecclesiae se nondum associarunt, uti infideles; 2) qui ab ea recesserunt, uti haeretici ac schismatici publici: „Haereticum hominem, scribit S. Paulus Tit. III, 10. post unam et secundam correptionem devita:“ — et Christus Mt. XVIII. dicit: „Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:“

3) qui auctoritate legitima ab ecclesia sunt exclusi, uti excommunicati excommunicatione majori.

* Sunt hodie inter doctores protestanticos, qui eos tantum veros christianos esse asserunt, qui religionem rationalem recipiunt (Vernunftgläubige), non autem positivas simul doctrinas a Christo et ab Apostolis propositas (Wundergläubige). Ast Christus aperte evangelium suum, id est, totam doctrinam suam, et omnia, quae ipse mandaverat, ubique praedicari et a fidelibus recipi voluit: deinde Apostoli eos, qui vel uni articulo refragati fuerint, a fide excidisse et ab ecclesia exclusos esse docent; demum quisquis divinam Christi auctoritatem sincere reveretur, non jam pro arbitrio suo ex doctrinis Christi seligere potest, quas vel suscipere vel negligere velit.

§. 196.

Ecclesia catholica est vera Christi ecclesia; nam

a) ea per octodecim saecula inde a prima christianae ecclesiae origine originariam, quam Christus ipse dedit, constitutionem successione continua servavit. Unde

b) profitemur cum S. Paciano saec. IV. „Christianus mihi nomen, catholicus cognomen:“ — cum S. Hieronymo: „in illa ecclesia esse manendum, quae ab Apostolis fundata usque in hunc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses etc. scito: non ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti

sunt, eos se esse indicant, quos futuros apostolus praenuntiavit; nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, cum et diabolus de scriptura aliqua sit locutus, et scripturae non in legendo, sed intelligendo consistant:" — cum S. Augustino: „Multa sunt, quae in catholicae ecclesiae gremio me justissime teneant: tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint: quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta christiani nominis carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia. Apud extraneos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio. Si autem tantummodo promittitur, et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quae animum meum tot et tantis nexibus christianae religioni adstringit."

c) Aliis autem praeter citata mox Ss. Hieronymi et Augustini verba illud Tertulliani dictum opponimus de praescr. c. 37. „Vos, qui estis, aut unde venistis? ego gaudeo possessione, ego haeres sum Apostolorum; mea est indubitata successio."

* Ex his rationibus Comes de Stolberg in sinum ecclesiae catholicae rediit, uti ipse in libris suis spar-

sim testatur. cf. theol. Monathschrift von Linz III. Jahrg. et Lud. de Haller „Sendschreiben:“ qui de suo ad catholicam ecclesiam reditu fere similia profitetur.

§. 197.

Sicuti ecclesia catholica est vera Christi ecclesia; ita et veram ac integram tenet Christi doctrinam.

a) In ecclesia enim catholica, quoniam Christus opus suum continuat, ut fides divina exurgat, 1) datur institutum conservandae et promovendae doctrinae christianae — non solum in scriptura et traditione, quam utramque ecclesia ab Apostolis accepit; sed vel maxime in apostolico episcopatu, qui juxta promissionem Christi a Spiritu Sancto dirigitur, et cui juxta eandem promissionem veri christiani semper adhaerent.

* In ecclesia catholica inde ab initio semper fuerunt et genuini fontes, ex quibus vera Christi doctrina hauritur, et legitimi interpretes ac doctores.

2) Posito jam isto instituto, cum unio in fide semper characteristica catholicorum tessera fuerit, defectio a vera Christi doctrina vel ex desidia, vel ex malitia, vel ex ignorantia nec facta fuit, nec fieri potuit, providentia coelesti juxta promissionem Christi vigilante. cf. Quartalschrift von Linz. III et IV. Jahrg.

* Hoc institutum 1) unitatem sustentat et promovet; 2) fidem non humanam, sed divinam creat; 3) hominibus illiteratis accommodatum est; et 4) eruditis etiam pro regula servit, ad quam suas disquisitiones exigere, et a nimia speculatione errorisque periculo revocari possunt.

b) Ex decursu dogmaticae et moralis theologiae nostrae apparebit, omnes et singulas utriusque doctrinas primitivae religioni christianae consentire.

* Adversus Protestantes argumento ad hominem uti licet. Ipsi enim juxta doctrinam suam de tolerantia, et de articulis fidei fundamentalibus admittere debent, nos habere veram doctrinam in substantia; id quod Confessio Augustana, Fabricius in celebri suo responso, quum M. Elisabeth, Ducis Brunswicensis filia, a Carolo VI. ad nuptias expeteretur, aliique fatentur. cf. Quartalschrift IV. Jahrg. 1. Band. Ipsi insuper, si vera fateri velint, admittere debent, 1) quod in ecclesia catholica propter magisterium infallibile variatio dogmatum non fiat: 2) quod autem apud Acatholicos substantiales in doctrina mutationes jam factae sint. Ita Leibnitius de mon. Rom. Pont. p. 134. scribit: „Pontificiorum multo melior est conditio, quam Protestantium, propterea quod illi Pontificem summum antistitem ecclesiae, et caput esse ad unum omnes agnoscunt, et si minus animo, saltem ore et exteriore specie consentiunt. Protestantes autem ejusmodi capite, quod in oculos hominum incurrit, destituti fluctuant, et animorum insuper distractione foede lacerati sunt et discerpti. Nam ut minores sectas . . . . omittam, ipsum quasi corpus Protestantium in duas factiones est distractum, Lutheranorum et Reformatorum: inter utrosque multi sunt (turpe dictu) qui non minore, quam ipsos Pontificios odio, adversam partem prosequuntur. Nec etiam apud Protestantes universali quadam descriptione cultus divini ratio continetur; sed ad suum unaquaeque respublica arbitrium haec omnia administrat et moderatur.“ — Cel. G. J. Plank Geschichte des protest. Lehrbegriffs 4. B. Vorr. S. 6. scribit: „Eine ganz neue Dogmatik hat sich in dieser Zwischenzeit unter uns gebildet. Man

ist fast allgemein nicht nur von jenen Formen, sondern selbst von mehrern Grundideen der Aeltern weggegangen. Man ist sich bewufst, dafs man weggekommen. Man fürchtet auch nicht, dafs der Geist unsrer Theologie jemals von selbst wieder dahin zurückkehren, oder zurückgezwungen werden könne, und betrachtet sie deswegen als ganz gleichgültige Antiquität."

§. 198.

Vera ergo est ecclesia, vera religio catholica; ut per totam hanc sectionem ostensum est. Verum quum doctrina catholicorum undequaque sugilletur, pauca quaedam adnotasse juvabit.

a) Acatholici scriptores dogmata nostra et genuinum constitutionis ecclesiae sensum non satis cognoscunt: uti ipse Plank „Abrifs der dogmatischen Systeme" S. 50. fatetur: „Bis itzt ist das System der kathol. Dogmatik dasjenige, das man unter uns, und in unsrer Kirche unter allen am wenigsten kennt." Unde 1) etiam fit, ut non raro dogmata nobis affingantur, quae dogmata ecclesiae nostrae nullatenus sunt etc. Id quam maxime patuit in recentissimis de fictitia fidei catholicae professione disquisitionibus. cf. Pii Brunnquell: Apologie des katholischen Glaubensbekenntnisses: Bamberg. — et Laur. Wolf: Die gerrettete Ehre der kathol. Kirche etc. 1821. item cl. Jordánsky: „De haeresi abjuranda quid statuat ecclesia catholica?" Strigonii 1822. 2) Rogamus ergo theologos acatholicos, ut doctrinam ecclesiae catholicae ex libris nostris publicis, nempe ex Concilio Tridentino, ex Catechismo Romano, ex regulis fidei ab ecclesia acceptatis, ex expositione doctrinae

trinae catholicae a Bossuet adornata; novissime in linguam germanicam versa; non vero ex libro unius alteriusve scholastici theologi deducere velint; jurisconsultos, ut jus a factis, et ipsa Christi instituta a quibusdam hominum abusibus et usurpationibus distinguant, simulque commoda attendant nec pauca, nec levia, quae ex ecclesia catholica ad genus humanum prodierunt. cf. Cutert: Warum ist dem Katholiken seine Kirche so theuer?

b) Vitia et variae superstitionis species, quae in plebe catholicorum hinc inde inveniuntur, non minus in plebe protestantium occurrunt. „Männer, welche die katholische Kirche der Mifsbräuche und Gebrechen wegen nicht als wahre Kirche Christi annehmen wollen, sollten bedenken, dafs die Kirche Christi sicherlich nicht anders, als das übrige Universum regiert werde, wo auch einzelne Gebrechen angetroffen werden, jedoch nie so, dafs sie die Oberhand erhalten; dafs daher, gleichwie man unrichtig schliefsen würde: — in der Welt giebt es physische und moralische Unvollkommenheiten; also ist keine Vorsehung — der Schlufs eben so fehlerhaft seyn müsse: — in der Kirche Christi gab es von jeher Aergernisse, und giebt es noch; also ist sie nicht die Kirche Christi. — Dafs es so kommen würde, ward ja vorhergesagt; und es ist eben nicht hart zu begreifen, dafs in einer Menschenwelt, wie sie einmahl ist, wenn sie nicht ganz umgeschaffen werden sollte, es so, und nicht anders kommen müsse.“ theolog. Monathsch. III. Jahrg. I. B. S. 241.

c) Protestantes asserere non cessant, puram Christi religionem in ecclesia catholica corruptam

fuisse, novaque dogmata humanitus in ea esse invecta. Verum ubi, quando, a quonam ista corruptio fuit facta, et quomodo nova dogmata ad universam ecclesiam, per orbem dispersam, introducta sunt? In omni sane historia, quae eventus etiam levioris momenti recenset, nullum talis corruptionis vestigium deprehenditur. In specie 1) seculo I. Apostoli adhuc superstites ipsi doctrinam seminarunt, per episcopos idoneos, summa cum solicitudine selectos, propagarunt et conservarunt, ac ecclesias peragrarunt, ut ubique fidei integritati prospicerent:

2) Seculo II. viri ab Apostolis vel Apostolorum discipulis instructi et constituti ecclesias gubernabant; et recens adhuc effatorum apostolicorum memoria vigebat.

3) Seculo III. aliqui adhuc viri apostolici, et ii quidem sacra eruditione insignes degebant; et jamjam per communicationem epistolarum, per synodos episcoporum, per celerrimam errorum pullulantium suppressionem integritatem fidei et unitatem stabilierunt, universalemque corruptionem praepedierunt.

4) Seculo IV. quum fidei periculum non leve ab Arianis pararetur, concilium generale se opposuit, in quo fides antiqua publice et solemniter promulgata et a corruptione immunis fuit reddita. Praeterea episcopi plurimi et doctrina et fervore conspicui servandae religionis puritati nunquam non studuerunt.

5) Seculo V. et postea per haeresin Nestorii et Eutychetis integrae ecclesiae particulares ab ecclesia catholica sunt separatae, quae pro infenso suo erga catholicos odio innovationi, si qua inter catholicos tentata aut facta fuisset, certe reclamassent.

6) Graeca ecclesia, quae jam dudum aemulatione quadam agebatur, nunquam de corrupto fidei deposito est conquesta; et Photius inprimis eruditissimus simul et Latinis infensissimus ejusmodi corruptionem nec ignorasset, nec tacuisset.

Desinant ergo acatholici corruptae religionis reos nos dicere, aut assignent, et authenticis ex testimoniis ostendant locum, tempus, modum et auctorem tentatae et factae talis corruptionis, praesertim quum doctrina Christi jam a prima ecclesiae origine non solum ab episcopis, sed ab ipsis fidelibus ceu depositum divinum summa cum solicitudine custodiri consueverit.

Caput III.

Coetuum aliorum defectio a statu ecclesiae originario.

§. 199.

Quoniam alii insuper coetus dantur, qui se veram Christi religionem et ecclesiam tenere dicunt, eorum jam examen instituendum est.

a) Inter illos coetus praecipui sunt 1) orientalis, 2) protestanticus, ad quem anglicanus refertur, et 3) socinianus.

* cf. Plank „Abriſs der dogmat. Systeme.“ Baumgarten „Geschichte der Religionspartheyen.“ Wieft „Demonstratio relig. et eccl. cathol.“

b) Examen institui debet, ut veritas nostrae religionis et ecclesiae patescat magis, et ut Acatholicis, qui suam religionem extolluut, nostram autem deprimunt, satisfaciamus.

c) Methodus ea erit, ut 1) functione historica ex libris horum coetuum symbolicis doctrina eorum de ecclesia et religione breviter recenseatur; 2) tum functione critica de doctrina ista judicium juxta institutionem Christi, sensum primorum christianorum et rationem feratur: ratio enim ipsa principia ista respuit, quae dissensioni et subversioni religionis favent: 3) demum argumentum populare ex notis verae ecclesiae addatur.

* Examinatur ipsa tantum horum coetuum doctrina in se, non autem animi compositio hominum eorum, qui coetibus istis adhaerent: hos enim amore prosequi debemus, etsi doctrinam eorum reprobemus.

Sectio I.

Historica coetuum acatholicorum recensio.

§. 200.

Ex antiquioribus coetibus christianis, qui a nobis dissident, primo loco memoranda est ecclesia graeca.

a) Ecclesia graeca duplex distingui potest; unita, de qua hic non est sermo; 2) non unita, eaque patriarchae Constantinopolitano vel subjecta, ad quam Constantinopolitana, Antiochena, Hierosolymitana et Alexandrina pertinent, vel sociata

tantum, uti Ruthenica, vel ab eo etiam dissidens, uti Nestorianorum et Eutychianorum coetus: ex quibus plures episcopi cum suis fidelibus sub Pio VI. et VII. ad unionem catholicam redierunt.

* Hoc loco sermo est de ecclesia graeca patriarchae Constantinopolitano vel subjecta, vel sociata, quae saec. IX. duce Photio, et Mich. Caerulario saec. XI. coepit, sese catholicam et apostolicam nominat, et post initam in concilio Lugdun. 1274. et Florentino 1439. unionem iterum ad schisma rediit, eique adhaeret.

b) Ecclesia ista cum Latinis priora septem concilia, et symbola antiqua admittit: 1) proprius ejus liber symbolicus est, „orthodoxa confessio catholicae et apostolicae ecclesiae orientalis contra Cyrillum Lucarem" lat. a Laur. Normann 1695, cujus auctor fuit Petrus Mogilas, Metropolita Kiowiensis: 2) In ecclesia Ruthenica viget proprius catechismus; cui addi debent Hieron. Platon, et Theoph. Procopowicz christiana orthodoxa theologia 1773 — 75. et professio fidei, quam Wilhelmina Hassodarmstadt., antequam magno Russorum principi nuberet, anno 1773 edere debuit.

* Notandum, quod libri isti quoad religionem quam maxime doctrinae catholicae consentiant; et quod Jeremias patriarcha Constant. Wittenbergenses, et orthodoxa ecclesia graeca Cyrillum Lucarem a Tübingensibus solicitatum rejecerit.

c) Status 1) ecclesiae graecae usque ad Photium idem fuit, ac in ecclesia catholica; ab illo autem tempore rejecto Romani pontificis primatu, ceu ex jure divino descendente, ibidem patriarchae, metropolitae, episcopi, archipresbyteri, presbyteri, dia-

coni, hyperdiaconi et lectores existunt; adeoque integra hierarchia ordinis, et aliqua hierarchia jurisdictionis viget: 2) Ecclesia Ruthenica, quae seculo X. a Graecis originem duxit, patriarchae Constantinopolitano fuit subjecta; anno 1589 a patriarcha Moscoviensi regi coepit; demum 1721 Petrus I. synodum sanctam sanctissimam, et dirigentem, cujus caput ipse est imperator, instituit. cf. King: „Gebräuche der griech. Kirche in Rufsland 1773.

• Ecclesiae graecae, quae sub Turcis gemit, miser est status: Ruthenicae autem ecclesiae status florentior esse coepit, ubi Petrus I. clerum doctrinae studiosiorem esse curavit.

d) Quod attinet religionem, Graeci 1) praeter s. scripturam traditionem etiam et priorum VII conciliorum generalium auctoritatem 2) omnia dogmata nostra admittunt; solam Spiritus Sancti processionem a Filio et divinam primatus originem negant: 3) in disciplina autem magis a nobis differunt.

• Ecclesia graeca in libris suis symbolicis cum latina in omnibus doctrinae capitibus consentit, in quibus Protestantes a nobis dissident. De statu ecclesiae graecae schismaticae novissimo legendus est liber Com. de Maistre: Vom Pabste: tom. II.

§. 201.

Inter recentiores coetus a tempore reformationis exortos primo memorari debet Lutheranus vel Evangelicus.

a) Auctor ejus est Martinus Luther, Islebii 1483. natus, doctor et professor Wittenbergensis, vir doctus, in ss. literis versatus et laborum patiens; sed

et rerum novandarum studiosus, vehemens, iracundus et pertinax. 1) Primum initium reformationis, uti dicere amavit, fecit thesibus contra indulgentias anno 1517, opus suum audaci facto 1520 publicavit, et usque ad mortem anno 1546 urgere non destitit.

2) Propagationem doctrinae a Luthero traditae naturali nimis via contigisse, ex ipsis protestantibus Brochmandus, Plank et alii ostendunt: ille quidem in exam. polit. C. A. scribit. „Luther gab den Fürsten die Stifter, Klöster und Abteyen; den Priestern Weiber; und dem gemeinen Manne die Freyheit; und das that viel zur Sache."

3) Propagata ita religio stabilitatem armis quaesivit, et pace religiosa 1555 et Westphalica 1648 obtinuit. cf. Vertraute Briefe zweyer Katholiken über den Ablafs-Streit zwischen Luther und Tetzel: et Ueber den Geist und die Folgen der Reformation. 2. Ausg.

* Asseclae Lutheri ab auctore suo Lutherani, a protestatione contra edictum Wormatiense anno 1529. Spirae facta Protestantes, et quia literae Evangelii sese adhaerere dicunt, Evangelici vocabantur.

** Lutherus rejecta ecclesiae catholicae auctoritate suis tamen effatis omnem asseruit auctoritatem, licet ipse suas non raro mutaret sententias. cf. Theoduls Gastmahl, qui liber a viro protestantico (Stark) est scriptus.

b) Libri Protestantium symbolici varii sunt; nec semper eadem ipsis auctoritas fuit tributa. 1) Inprimis Protestantes antiqua quatuor symbola retinuerunt, ostensuri, veram et avitam Christi doctrinam ab ipsis non esse neglectam: dein anno 1530 Augustanam Confessionem ejusque Apologiam,

utramque a Phil. Melanchton elaboratam addiderunt; tum Lutheri catechismum majorem et minorem susceperunt; demum articulos Smalcaldicos anno 1537 ab ipso Luthero compositos; Torgavienses 1576 a Jac. Andreae confectos, et Formulam Concordiae anno 1577, 1580 acceperunt. cf. Plank Geschichte der Entstehung etc. des protest. Lehrbegrifs.

2) Hisce libris Protestantes maximam tribuerunt auctoritatem; inde autem post medium saeculi XVIII multi Protestantium dogmata in illis libris contenta deserere coeperunt, et auctoritatem librorum symbolicorum attenuare vel impugnare non timuerunt. Diversissimae de hisce libris inter Protestantes vigent opiniones de destinatione, de valore et auctoritate eorum. cf. Matth. Dannenmeyer „historia controversiarum de auth. libr. symbol. inter Protestantes agitatarum 1780. et „edictum religionis a Fried. Wilh. Borussiae Rege edituin: et Wiest" Dem. cath. p. 39 etc.

c) De statu ecclesiae nec fuit, nec est apud Protestantes certa quaedam et uniformis sententia. 1) Ab initio, quum Lutherus magis in destruendo antiquo, quam in ordinando novo ecclesiae statu occuparetur, et a statu per Christum praescripto recessisset, Protestantes, quis obtinere debeat status ecclesiae, ignorabant: 2) dein in C. A. in genere tantum duas verae ecclesiae notas assignabant, nempe praedicationem verbi divini, et legitimam Sacramentorum administrationem; simul tamen potestatem ecclesiasticam a civili separatam dicebant, et episcopis potestatem inspiciendi doctrinas, excludendi refractarios, et ferendi leges ecclesiasticas concedebant. 3) Verum quum haec nec omnibus

arriderent, nec etiam sufficerent, excogitari coeperunt varia, ut ajunt, systemata, territoriale, episcopale, collegiale etc. de quibus in jure canonico fusius agitur. cf. Zallwein, Principia juris eccles. et Lud. de Haller „Restauration der Staatsrechts-Wissenschaft."

4) Unde status ecclesiae apud Protestantes omni tempore in variis regionibus varius fuit et adhucdum est.

* De hac incertitudine et perturbatione, quae relicto unitatis centro, et rupto communi vinculo evitari non potest, Protestantes ipsi conquesti sunt, et hodie conqueruntur: quae quidem querelae non levem catholicae ecclesiae apologiam praestant.

d) Religionem quod attinet, 1) veteres Protestantes pleraque dogmata nobiscum communia tenuerunt; a nobis autem dissidebant tum circa principium doctrinae, quia abjecta traditionis et ecclesiae auctoritate solam sacram scripturam — spiritu privato — explicandam pro unico principio statuebant; tum circa doctrinas quasdam singulares, nempe de numero Sacramentorum, de transsubstantiatione et de sacrificio Missae, de purgatorio, de precibus pro defunctis, de cultu sanctorum, et veneratione imaginum et reliquiarum, de libertate hominis, et de justificatione. Ipse tamen Lutherus constans sibi non fuit, uti Stark, auctor libri „Theoduls Gastmahl" ostendit; et ejus asseclae varias doctrinae suae mutationes admiserunt, uti Bossuet probavit in historia variationum etc.

2) Recentiores autem magno numero dogmata religionis christianae propria, quae ex sola revelatione innotuerunt, negligunt, et rejiciunt, et soli

religioni rationali acquiescunt. Quae quidem defectio ex ipso protestantismi principio, ex abjecta nempe ecclesiae auctoritate, et ex usurpato jure fluit, vi cujus Lutherus ipse dogmata definivit; unde ejus asseclae simile jus sibi vindicant.

* Haec omnia ex recentissimis libris, qui ad institutionem theologorum conscripti sunt, facile constant. cf. „Soll die Scheidewand zwischen Katholiken und Protestanten noch länger bestehen? Augsburg.

§. 202.

Alterum coetum constituunt Reformati; a) qui originem ducunt tum ab Udalrico Zwinglio, tum potissimum a Jo. Calvino. 1) Zwinglius, canonicus Tigurinus jam circa annum 1516 adversus Papam, variosque, uti dicebat, abusus declamavit; anno 1524 novam instituere coepit societatem, quam vi armorum stabilire voluit, ipse in acie occumbens. 2) Joannes Calvinus, theologus Genevensis institutiones christianae religionis edidit anno 1550, in quibus sententias Zwinglii et Oecolampadii fusius explicavit et propagavit. Hujus formulam novam pars Germanorum et Francogallorum mature suscepit; Anglia item, Scotia, Belgium foederatum etc. eidem sese addixerunt, quamvis non una ubique sententia vigeret. Post varia fata, et bella, quibus Reformati eodem modo, sicut Protestantes, successive fuerunt propagati, tandem in pace Westphalica paria cum Lutheranis jura in Germania obtinuerunt; unde et ipsi nomine Protestantium simul appellari coeperunt.

* Ex Calvinismo prodierunt Remonstrantes, seu Arminiani, qui duram Calvini de praedestinatione doctrinam mitigarunt, et idcirco a synodo Dordracena

anno 1618. damnati et ex ecclesia ejecti in Galliam, Alsatiam aliasque provincias secesserunt; sed indulto ipsis demum reditu tranquillas in Belgio foederato, et quidem inprimis Amstelodami et Roterodami sedes acceperunt.

b) Libri Reformatorum symbolici ob magnum sectarum particularium varietatem multi sunt, et in variis provinciis varii. 1) Zwinglius spiritu helvetico, ut ait Melanchton, confessionem fidei anno 1530 ad Carolum V. et anno 1531 ad Franciscum in Galliam misit, quin aditum inveniret. 2) Calvinus institutiones suas, sat systematice libris quatuor concinnatas, plurimis persuasit; quibus tamen plures confessiones accesserunt, quae sub titulo „Harmonia confessionum" prodierunt. 3) In Palatinatu et alibi etiam Catechismus Heidelbergensis jussu Friderici III. anno 1562 a Casp. Oleviano et Zach. Ursino conscriptus invaluit.

* Arminiani, quos inter Hugo Grotius, Episcopius aliique viri docti fuerunt, propriis libris utuntur.

c) In doctrina de ecclesia Reformati inter se discordant. 1) Zwinglius episcopos omnesque Catholicorum clericos persequebatur, omnemque potestatem ecclesiasticam a clero ad magistratum transtulit, cui ministros sacros subjecit: 2) Calvinus autem asseruit, ecclesiam sui juris esse, et seipsam per presbyterium posse gubernare, ministros sacros ex jure divino esse aequales, et magistratui jus tantum inspectionis sive potius tutelam competere; quae quidem sententia Scotis et Gallis placuit. 3) In Germania aliisque provinciis regimen protestantico simile

invaluit, quia sententia Calvini bono civili periculosa videbatur.

* Arminiani magistratui plus potestatis tribuebant, quam Gomaristae, qui jus definiendi religionem solis synodis competere asserebant.

d) Doctrina de religione pariter varia est: in iis enim capitibus, quae Protestantes nobiscum ex antiquis symbolis admittunt, (de Deo, de Christo, de ordine salutis) — Reformati etiam consentiunt; in aliis vero cum Protestantibus a nobis recedunt, rejecta traditione et auctoritate ecclesiae solam s. scripturam sequentes. 1) Zwinglius insuper praesentiam tantum symbolicam in s. eucharistia adstruit; ceremonias cultus publici plerasque tollit, et circa doctrinam de libero arbitrio Pelagianismum fere suscitavit: 2) Calvinus spiritualem praesentiam in s. eucharistia asserit, et in doctrina de praedestinatione particularismum et horrendum quasi despotismum defendit. 3) Remonstrantes a rigido Calvinismo recesserunt, et postea ad Socinum defecerunt. 4) Diebus nostris Protestantes et Reformati, qui alias tam acriter de praesentia Christi in S. Eucharistia etc. inter se disceptabant, consilium inierunt de unione circa religionem et ecclesiam, et in quibusdam locis unionem ipsam perfecerunt; ac si religio et ecclesia Christi res esset, quae in commercium humanum adduci possit, et de qua pro arbitrio statuere liceret, quid circa doctrinam et circa instituta Christi retinendum sit, vel dimittendum etc.

* Notatu dignum est, quod Calviniani rejecta ecclesiae catholicae auctoritate eandem auctoritatem synodo Dordracensi adscripserint.

§. 203.

Tertius demum Protestantium coetus in ecclesia Anglicana invenitur: Angliam enim, tot apostolorum olim patriam reformatio quoque occupavit.

a) Huic ecclesiae 1) originem dedit Henricus VIII. fidei catholicae contra Lutherum defensor, qui rejecta propter Annam Boleyn Romani pontificis auctoritate seipsum ecclesiae caput constituit, religionem catholicam retinens 1533. 2) Filius ejus Eduardus VI. qui reformatae religioni favebat, agente potissimum Thoma Cranmer, archiepiscopo Cantuariensi, eandem articulis 42. comprehensam praescripsit. 3) Succedens ei Maria rem catholicam restituere conabatur; verum Elisabeth ab anno 1558 — 1603. regnans, et constanter consilia sua exequens, catholicae religioni se opposuit, et systema episcopale stabilivit; magnam tamen Puritanorum multitudinem — tentatis licet omnibus mediis — ad illud accipiendum adducere non potuit.

b) Libri symbolici sunt 1) antiqua symbola, 2) articuli fidei 39. ad quos Elisabetha articulos 42. ab Eduardo statutos, reduxit; et 3) Rituale Eduardi VI. quod ex liturgia ecclesiae catholicae multos dies festos, multasque ceremonias etc. retinuit.

* Puritani jam sub Elisabetha nec lenibus, nec severis mediis adduci potuerunt, ut paucis istis articulis subscriberent. Iidem saepius, et inprimis anno 1773. libellum supplicem, a ministris ecclesiae Anglicanae confectum, cui 250. viri e numero eruditorum subscripserant, obtulerunt, ut ab isto subscribendi one-

re liberarentur. Verum responsum ipsis est: „Die Mitglieder der hohen Kirche könnten den Vorschlag einer Veränderung der 39 Artikel als nichts geringeres, denn Gotteslästerung ansehen. Dergleichen Neuerung würde der englischen Kirche eine tödtliche Wunde versetzen. . . . Eine bloſse Annehmung der heil. Schrift sey nicht zureichend, indem die tägliche Erfahrung lehre, daſs nicht zween Köpfe über deren Auslegung völlig einstimmig seyn', und indem es bekannt sey, daſs oftmals Leute aus ihr die gröſsten Ungereimtheiten, ja wohl Gotteslästerungen zu behaupten und zu vertheidigen gesuchet haben." cf. Walch's „Neueste Relig. Gesch." 6. Th.

c) Status ecclesiae juxta constitutionem Eduardi VI. et juramentum ab Elisabetha praescriptum is est: 1) Rex vel etiam regina est caput ecclesiae, non quidem cum potestate legislatrice, sed cum honore supremi advocati, cujus officium in coronatione suscipit: 2) immediatam autem gubernationem alii — Conformistae — episcopalem ex jure divino statuunt, et ecclesiam altam, excelsam, dominantem constituunt; alii — Nonconformistae — presbyterianam asserunt, qui se puritanos dicunt, utpote, ut aiunt, ab omni fermento papistico puros.

* Episcopales in regimine, liturgia, et in veneratione Ss. Patrum proxime ad Catholicos accedunt.

d) Doctrina religionis cum doctrina Calvini fere consentit, nisi quod art. 37. suprema regiae majestatis potestas in sacris statuatur.

* In Anglia novitiae potissimum opiniones proferri coeperunt; ibique et theismus natus est.

§. 204.

Coetibus denique protestanticis successit Socinianismus, et quidem primo vetus.

a) Aperta nempe per reformatores porta licentia ingenii humani limites ullos agnoscere noluit; et 1) in Italia, praesertim Vicentiae in statu Veneto, societas virorum eruditorum coaluit, qui anno 1546. conventicula celebrarunt, religionem non tantum a superstitione, sed etiam a mysteriis purgare volentes; quos inter Laelius Socinus, ejusque nepos Faustus Socinus fuerunt. 2) Ex Italia quum dispersi fuissent, Laelius Socinus peragratis variis provinciis Tiguri in Helvetia anno 1562. mortuus est, suamque doctrinam nepoti Fausto Socino propagandam reliquit: id quod ille ore et calamo praestitit. 3) Nam anno 1579. ad Polonos accessit et Unitarios in suas sententias perduxit; ut in Polonia res Socinianorum florentissimae essent usque ad annum 1688. quo ecclesia Racoviensis, sedes eorum primaria, ipsis erepta fuit; et post 20. annos ipsimet omni Polonia excedere jussi sunt. 4) Ab illo tempore maxime in Transylvania scita sua publice propagarunt.

b) Inter libros symbolicos numerare licet 1) Catechismum Racoviensem, qui ex institutione religionis ab ipso Socino conscripta, postmodum aucta et correcta natus est: 2) Scripta Socini, Schlichtingii et Sam. Crellii etc. cf. Niemeyer „Bibliothek für Prediger.“ 3. Th. S. 176. et 2. Th. S. 77.

c) De ecclesia docent Sociniani, 1) quod ea plane deficere et in mundo perire possit; 2) quod

igitur inutile sit et superfluum quaerere, quaenam sit vera ecclesia: 3) quod ejus gubernatio sit libera, et juxta principia juris naturalis, mutuumque consensum ordinanda.

d) Quoad doctrinam religionis 1) pro principio rationem fere statuerunt, et ex ratione scripturam esse exponendam dixerunt: 2) unde ipsos religionis articulos partim ex ratione, partim ex scriptura, per rationem exposita, deduxerunt, et omnia mysteria ex religione eliminarunt.

* Ab initio doctrinas quasdam positivas adhuc retinuerunt; et in ipso eorum cathechismo quaestioni: „Quid sentis de iis, qui Christum Deum esse negant?“ respondetur: „Sentio, eos vere non esse christianos.“

§. 205.

Denique recentior quidam Socinianismus specialem exigit mentionem.

a) Ejus origo 1) jam a longiori tempore inter Protestantes repetenda est, qui symbolorum auctoritatem rejicere, nova quaedam principia avitae christianorum fidei contraria statuere, et novam theologiam introducere studuere. 2) Praesertim autem per philosophiam Kantianam, quae rationem, ut ajunt, theoreticam in materia potissimum religionis restringit, practicam autem extollit, novus ille, et moralis Socinianismus invaluit.

b) Librum symbolicum, qualem ratio dare non potest, novae istius theologiae statores respuunt, quamvis libellus Kantii „Religion innerhalb den Gränzen der Vernunft“ non immerito symbolicus

eus dici queat: nam in verba ejus quam plurimi quasi jurasse videbantur, et libellum istum suis quasi commentariis illustrarunt.

c) Circa religionem asserunt, 1) fontem ejus unicum esse rationem practicam; unde omnis eorum dogmatica ad doctrinam de Deo uno et immortalitate reducitur: 2. de divina revelatione et scriptura non raro verba faciunt, sed cum non tenent, nec tradunt conceptum, quem omnis christiana aetas de revelatione et s. scriptura tenuit: 3) interpretationem scripturae duplicem assignant, doctrinalem (Schrift-Gelehrsamkeit) tantum ad usum scholae eruditum: et moralem, quam solam dicunt authenticam, et cui doctrinalem volunt esse subordinatam; qua quidem nova exegesi omnia positiva ex religione eliminantur, et interim ad speciem pro populo nondum satis ad rationalismum praeparato adhuc memorantur.

d) Ecclesiam specialem nullibi conficiunt; Kantius tamen pro hominibus in hoc terrarum orbe degentibus ecclesiam requiri dicit, ut exurgat populus Dei et ethica respublica. 1) Ejus notas assignat unitatem in principiis cum universalitate conjunctam; puritatem ex moralibus duntaxat motivis oriundam; libertatem in — et externam; et demum immutabilitatem sua in constitutione, cui sola rerum sacrarum administratio juxta indigentias hominum accommodata adesse possit: 2) leges statutarias esse utiles, quin et necessarias admittit ceu media ad regnum rationis practicae successive introducendum: 3) demum ad initium talis ecclesiae concursum auctoritatis divinae requiri fatetur. cf. Lehrweisheit in einem Beyspiele. Inspruck.

Sectio II.

Censura horum coetuum.

§. 206.

Omnes istae ecclesiae, etsi gentilismo, Muhamedismo et moderno Judaismo multum praestent, et magnam religionis non tantum rationalis, sed etiam revelatae partem teneant, magis vel minus ab ipsa Christi institutione deficiunt, prouti patet

a) ex earum indole: 1) nulla enim earum tenet primatum S. Petro collatum, ut esset unitas in ecclesia tam ampla et perpetua, et ut firmitas esset inter omnes impugnationes: 2) multae earum carent apostolatu, adeoque authentico etiam religionis magisterio et legitimo cultus externi et fidelium ministerio Tertull. c. 22 et 32.

* Inde factum est, ut coetus divinis istis institutis carentes tot et tantas jam subierint mutationes; et ut in ecclesia Graeca, quae apostolatum retinuit, et in Anglicana — episcopali — quae eum penes se habere asserit, major perstiterit firmitas.

b) ex seriori origine: tempus enim et occasionem assignare possumus, quando et quomodo istae ecclesiae ab ecclesia catholica se separarunt, quae

sola eo tempore coepit, ubi Apostoli praedicare evangelium, et ecclesias fundare coeperunt;

quae sola usque ad hos dies perduravit;

quae sola ex aliis ecclesiis egressa non est, nec ab aliis exclusa est; sed

ex qua sola omnes aliae exierunt, et a qua omnes illae exclusae fuerunt. Unde verba Tertulliani c. 30. „Ubi tunc Marcion? ubi tunc Valentinus? .... Cupio, ostendant mihi, ex qua auctoritate prodierunt . . . Probent se novos apostolos esse etc. et c 37.“ Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei?“ heic repetere licet. Simile argumentum pro veritate ecclesiae catholicae S. Hilarius l. VII. de Trinit. num 4. seculo IV. protulit.

* Ipse Lutherus ex recentiori tali origine Anabaptistarum innovationes damnavit.

c) ex diversitate in gubernatione ecclesiae, quam Christus ipse pro sua sapientia et bonitate determinavit; et in ipsa religione; quae quidem diversitas naturaliter oritur, eoquod authenticum desit unitatis et firmitatis criterium.

* Jam S. Irenaeus et Tertullianus sectas rejecerunt 1) ob defectum successionis; 2) ob seriorem originem, et 3) ob diversitatem.

** Proxime ad veram Christi ecclesiam accedit Graeca, tum Anglicana — episcopalis — deinde protestantica, demum sociniana.

§. 207.

In specie ecclesiae Graecae opponimus:

a) quod ipsa orta sit ex ambitione Photii et Michaelis Caerularii, et duret ex perfidia; nam Graeci in concilio Lugdunensi II. 1274 et in Florentino 1439 rebus mature examinatis unionem cum Catholicis solemniter promiserant:

b) quod ea institutioni Christi et sensui primae ecclesiae, uti Cap. I. et II. ostensum est, repugnet: et

c) quod primatus Romani pontificis ab ipsa orientali ecclesia ante Photium semper agnitus fuerit; et dogma de processione Spiritus Sancti a Filio ab ipsis Patribus graecis traditum fuerit.

* Graeca ecclesia in doctrina fidei reliqua nobiscum consentit; et a dogmate de processione Sp. S. hodie eruditi inter Graecos non multum abhorrent. Alexander de Stourdza, qui 1816. librum edidit: „Cónsidérations sur la doctrine et l'esprit de l'eglise orthodoxe" solide refutatus est in libro: „L'Eglise catholique justifiée contre les attaques d'un écrivain, qui se dit orthodoxe etc." a Paris 1822. par M*******. cf. Der Katholik. 1823. VI. Heft. Strafsb.

§. 208.

Ecclesia protestantica Lutheri et Calvini a vera Christi ecclesia deficit.

a) Inprimis Lutherus et Calvinus reformationem, quam praetendebant, sine potestate legitima, sive sine missione vel ordinaria, vel extraordinaria aggressi sunt. 1) Missionem enim divinam circa institutum divinum ss. literae requirunt Rom. X, 15. Hebr. V, 4. et omnis historia omnes divinae religionis reformatores certis missionis suae characteribus insignitos nobis exhibet; et ipse Lutherus ab aliis aevi sui novatoribus divinae missionis signa exegit. 2. Missio ordinaria utrîque defuit, quia uterque pontificis et episcoporum potestatem, unde missio ordinaria proficisci debuisset, subvertit: extraordinaria non adfuit, quia in utroque vitae sanctitatem, consensum in doc-

trina christiana stabilem, et gloriam signorum desideramus.

b) Indolem ipsius reformationis si spectemus, Lutherus et Calvinus 1) a statu ecclesiae, quem Christus ipse instituit, recesserunt; alium autem, qui fini Christi et religioni promovendae satisfaceret, ipsi non determinarunt; unde nec stabilis, nec uniformis ecclesiae status apud acatholicos invenitur: 2) circa doctrinam religionis solam sacram scripturam pro unico principio statuerunt, cum tamen ea sola non sufficiat; varias doctrinas, ab omni antiquitate agnitas, rejecerunt, novas etiam et eas periculosas de sola fide salvifica, de servo arbitrio, de praedestinatione etc. protulerunt, et abjecto unitatis criterio plurimis doctrinae variationibus ansam praebuerunt.

c) Propagatio et effectus eidem non favent: 1) propagatio enim facta est primum variis illiciis, tum vi armorum. cf. Friedensworte an die kathol. und protest. Kirche für ihre Wiedervereinigung: II. Ausg. 2) effectus autem, licet divina providentia in ecclesia catholica varia emolumenta ex opere reformatorum eduxerit, sat tristes jam ab initio fuerunt, et adhucdum sunt, uti Ign. Mich. Schmidt „Geschichte der Deutschen" ostendit (cf. Friedensworte) sive religionem, sive bonos mores, sive bonum reipublicae sive denique rem litterariam spectemus.

* Digni prorsus sunt, qui circa hanc materiam legantur libri: „Ueber den Geist und die Folgen der Reformation (von Fried. v. Kerz.) Friedensworte etc. et „Beleuchtung der Dr. Tzschirnerischen Schrift:" Protestantismus und Katholicismus etc. von Max Prechtl, Abte etc. Sulzbach 1823. — et „Soll die

Scheidewand zwischen Katholiken und Protestanten noch länger fortbestehen? (von Aug. Hille) Augsburg. — Würde und Hoffnung der kathol. Kirche etc. von Kastner: Sulzbach 1822.

§. 209.

Ecclesiae Anglicanae non favet

a) origo ejus propter impurum amorem Henrici VIII. ejusque pertinaciam; dein per conatus Elisabethae, symbolum praescribentis, cum tamen juxta scripturam mulier tacere debeat in ecclesia:

b) nec gubernatio: rex enim, vel etiam regina juxta voluntatem Christi caput ecclesiae esse non debet: et quamvis episcoporum auctoritas aliqua retineatur, deficiente tamen centro unitatis nullus dissidiis finis dari potest:

c) nec doctrina, quae, licet in 39 articulis multa contineantur dogmata vera, integra tamen non est, nec etiam pura; et aliunde humana tantum auctoritate reginae est stabilita.

§. 210.

Socinianismo tum veteri, tum recentiori alia insuper obstant:

a) Vetus quidem Socinianismus 1) propriis principiis non concordat: una enim ex parte Christum ceu divinum legatum recipit; et altera ex parte eum infirmae hominum rationi subjicit: 2) doctrina de ecclesia prorsus nova est, et hominibus non accommodata; unde etiam nulla Socinianorum ecclesia subsistit: 3) et doctrina de religione firmita-

tem fidei praestare non potest; verae pietati et tranquillitati fovendae non sufficit — sublato inprimis dogmate de redemtione:

b) Recentior socinianismus, qui sub nomine religionis christianae rationalismum inducere conatur, eo ipso sincere et ingenue non agit. Juvat adversus eum repetere, quae in universa theologia generali hactenus fuerunt stabilita.

1) Ratio sola non sufficit, sed divina requiritur revelatio, ut certa, completa et efficax verae religionis notitia comparetur et conservetur, ejusque exercitatio promoveatur.

2) Religio christiana, quae omnibus revelationis divinae characteribus insignita est, in ipsis doctrinis et institutis suis positivis immensae hominum multitudini per 18 saecula satisfecit, praestantissima generi humano emolumenta praestitit, omnesque impugnationes vicit.

3) Omnia positiva abjicere repugnat primo naturae hominum, qui sola ratione secure non reguntur, et semper auctoritate aliqua indigent; tum voluntati Christi, qui doctrinas positivas aeque ac rationales pari auctoritate promulgavit, et ab omnibus suscipi, semperque teneri voluit; demum ipsi moralitati, quae solo rationis dictamine non promovetur; sed aliis adhuc, et altioribus indiget motivis et subsidiis, et vires ab ipso Deo recipere debet.

§. 211.

Ecclesia ergo catholica omnibus aliis est praeferenda: nam

a) solius ecclesiae catholicae status institutioni Jesu Christi in sacra scriptura declaratae, et praxi primitivae ecclesiae consentit, et fini Jesu Christi respondet.

b) Deinde omnes coetus christianorum sacram scripturam pro principio religionis christianae assignant: sensum autem s. scripturae explicari ac determinari et posse, et debere dicunt

Protestantes — ope regularum hermeneuticarum,
Sociniani per rationem theoreticam,
Kantiani per rationem practicam,
Catholici per magisterium, divinitus institutum, cui divina adest assistentia.

Jam vero systema catholicorum concordat primo cum ipsa sacra scriptura, in qua multa sunt obscura et difficilia; multa etiam positiva, quae ex ratione definiri non possunt; et profecto lex christianorum fundamentalis interpretem authenticum habeat oportet, quem a Christo constitutum esse, ipsa sacra scriptura sat clare enuntiat: deinde conditioni et indoli hominum est accommodatum, utpote quibus omnibus et singulis non semper suppetit vel tempus vel facultas ex s. scriptura doctrinam christianam deducendi et determinandi; quique auctoritate naturaliter reguntur:

demum firmitati et unitati fidei simul ac tranquillitati optime consulit, praesertim ubi dubia vel dissidia oriuntur.

* Es kömmt alles darauf an: „Giebt es eine Auctorität zur Bestimmung und Festhaltung der christlichen Religion, oder giebt es keine?“

Giebt es eine; so hat der Katholik den entschiedenen Vorzug:

Giebt es keine; so entsteht ein Chaos, und geht zuletzt die Religion selbst zu Grunde, oder verliert ihre ganze Kraft — selbst zum Nachtheile des Staats.

** Indigne non ferant Protestantes, quod dicamus, solam ecclesiam catholicam esse veram Christi ecclesiam, et in ea sola integram et genuinam custodiri Christi doctrinam; nam 1) ipsi etiam de sua ecclesia et religione idem ipsum asserunt; 2) una tantum inter tam diversas ecclesias etc. vera esse potest: 3) exinde autem non dicimus, omnia et singula, quae apud Protestantes inveniuntur, falsa esse aut mala; multo minus eos omnes, qui in coetu acatholico vivunt, salute aeterna excidere contendimus: judicium enim de errore singulorum, utrum is culpabilis sit vel non culpabilis, soli Deo relinquimus. cf. Sulzer: „Wahrheit in Liebe:“ Geiger: Ist die katholische Kirche die alleinseligmachende Kirche? Ury 1822.

Sectio III.

Argumentum populare ex notis verae ecclesiae.

§. 212.

Ut praerogativa ecclesiae catholicae clarius pateat, antiquum et populare argumentum ex notis verae ecclesiae subjungere juvat.

a) Quum Christus velit, ut omnes homines verae ecclesiae sese associent — rationabili utique assensu et obsequio, — ecclesia vera notis quibusdam insignita esse debet, quibus agnosci et dignosci queat,

et iis quidem 1) certis, ne in re tanti momenti dubitationi locus relinquatur; 2) publicis, quia ecclesia visibilis esse debet; et 3) completis, ut soli verae ecclesiae, et nulli alteri competant.

b) De talibus notis 1) Remonstrantes, Limborchius et Episcopius, dicunt, non dari notas ecclesiae certas: 2) Protestantes et Reformati duas statuunt notas, nimirum praedicationem puri verbi divini, et legitimam sacramentorum administrationem. Ast utraque haec nota non est apta, quia utraque cognitu difficilis est; neutra etiam satis publica; demum duae istae notae son sunt completae, quia a quovis coetu praetenduntur. 3) Inter catholicos alii paciores, alii plures notas assignant, quae tamen ad quatuor illas, in symbolo Nicaeno — Constantinopolitano jam prolatas, reduci possunt, nempe, ut vera Christi ecclesia sit una, sancta, catholica (universalis) et apostolica.

c) Has igitur notas 1) ex ipsa s. scriptura et ex conceptu verae ecclesiae statuere, et 2) tum ecclesiae catholicae, tum aliis coetibus adplicare oportet.

§. 213.

Character verae Christi ecclesiae is est, ut sit sancta, catholica sive universalis, una et apostolica:

a) Sancta; 1) in qua non tantum doctrina in se sancta et ad veram pietatem excitandam et fovendam apta habeatur; sed media etiam sanctitatis promovendae adsint genuina, et efficacia, quae infirmis acque ac perfectis accommodata sint, suffici-

ant et satisfaciant; in qua demum nunquam non aliqui occurrant fideles, evangelica sanctitate conspicui. 2) Talem jam voluit Christus esse suam ecclesiam, qui in hunc mundum venit, ut homines illuminaret, peccata tolleret, et peccatores salvos faceret; unde fidem operibus vacuam Mt. VII, 21 et opera etiam ex ambitione aliave cupiditate oriunda Mt. V. 46 reprobavit; et ibid. 48 omnibus dixit: „Estote perfecti, sicut pater vester coelestis perfectus est.“

b) catholica sive universalis; 1) quae omnes omnium locorum et temporum homines in se complecti, et semper ac ubique subsistere possit: 2) Jam Christus voluit, ut evangelium omni creaturae praedicetur Marc. XVI. et ubique ac semper ecclesia ipsius perduret Mt. XVI. et XXVIII.: dein relatio hominis ad Deum, ex qua omnis vera religio et ecclesia progreditur, universalis est et perpetua.

c) una; 1) ut una ubique et semper unius fidei norma, unaque fides sit; ut una eademque fidelium obedientia erga rectores, divina ordinatione constitutos vigeat, unumque sit omnium fidelium caput et centrum. 2) Omnem istam unitatem Christus cum Apostolis urget: et revera veritas, et virtus unitatem exigunt, et dissensionem non admittunt; nec non omnium sociorum conjunctio et unio ad finem perfecte obtinendum requiritur, quae sine uno centro unitatis, sine uno capite communi obtineri et sustineri non potest.

d) apostolica: 1) quae originem et successionem apostolicam habeat. 2) Christus certe voluit, ut institutus a se primatus, et instituta apostolorum potestas semper perdurent: et ratio in-

telligit, unitatem felicius obtineri non posse nisi per continuum apostolatum, in quo apostolis doctoribus et rectoribus succedant alii — inter se et cum uno capite et centro conjuncti et uniti.

* Sanctitas finem ecclesiae concernit. Ipsa autem sanctitas limitari nec debet nec potest sive loco sive tempore; simulque disparitatem et dissensionem excludit; adeoque et universalitatem simul ac unitatem exigit. Unitas denique non obtinetur, nisi religio et ecclesia, sicuti ab Apostolis sub Petro ortae sunt in mundo, ita in eorum successoribus sub Petri successore perdurent.

§. 214.

Omnes istae notae competunt ecclesiae catholicae: ea enim est

a) Sancta; quia doctrinam sanctam fidelibus suis proponit, ab iisque sanctitatis studium exigit; quia media sanctitatis habet et suggerit, peccatoribus veniam concedere et emendatos ad meliora adducere potest; et nunquam non membra, sanctitate conspicua, in gremio suo fovit:

b) catholica seu universalis; utpote 1) omni climati, conditioni hominum et formae regiminis accommodata, jam per Apostolos in orbe terrarum dilatata et novis postea continuo incrementis aucta; 2) atque inter regnorum, morum ac literarum vicissitudines perdurans, ut nulla alia ecclesia in extensione et perduratione ei comparari possit; unde eidem nomen ecclesiae catholicae semper tributum est:

c) Una; — tum in fide una eademque; tum in iisdem sacramentis, ac demum in unione fidelium cum suis episcopis, et episcoporum cum Romano pontifice.

* Disputationes et controversiae theologorum plerumque non ipsa dogmata, sed modum tantum dogmatum vel quaestiones scholasticas concernebant; deinde theologi non conficiunt ecclesiam; demum siquis theologorum de opinione sua singulari magnificentius loqui eamque doctrinae ecclesiae opponere tentavit, ab ecclesia reprobari meruit. Suo jam tempore (circa annum 1778.) Dalberg: „Betracht. über das Univ. p. 116. (Manheim 1806.) scripsit: „Männer von grofser Gelehrsamkeit und grofsen Gaben; Semmler, Lavater, Teller, Ernesti, Jerusalem, Bahrdt, Herder, Michaelis! zum Theil, wie uneinig unter sich! Nicht über Schulstreite, wie Scotisten und Thomisten; sondern uneinig über wesentliche Lehrpunkte! Wäre dieses nicht der Zeitpunkt, der ursprünglichen Kirche sich zu nähern, in welcher nie solche Spaltungen entstehen können?“

** In conciliis non nova dogmata statuebantur; sed antiqua tantum contra novatores declarari, defendique debuerunt.

d) Apostolica, quia inde ab Apostolis usque ad nos duravit ita, ut successores S. Petri in Romano pontifice, et successores Apostolorum in episcopis semper adessent.

§. 215.

Notae illae characteristicae, quibus vera Christi ecclesia debet esse insigni-

ta, non competunt ecclesiae protestantium: nam

a) Sanctitas in pleno suo conceptu deficit 1) quoad doctrinam, saltem juxta Lutherum, qui pretium bonorum operum nimis extenuat, et fidem solam salvificam praedicat; et juxta Calvinum, qui absolutum reprobationis decretum statuit: 2) quoad media sanctitatis, quia plura ibi desunt sacramenta, indigentiis spiritualibus tam congrua, et salutaria; uti ipse Goethe eleganter explicat. cf. Linzer Quartalschrift.

b) Catholica non est ecclesia Protestantium, quia 1) ante suos auctores, (ante saeculum XVI. aerae christianae;) nullibi extitit: 2) et post illos parem propagationem, et communionem cum Graecis frustra quaesivit; et 3) interea doctrina ejus mire est mutata et hodie apud plurimos fere interiit.

c) Unitas inibi non invenitur; sed potius 1) discordia ex lege Protestantium fundamentali libertatis naturaliter oriunda semper viguit; et 2) hodie multi aperte edicunt, unitatem nec utilem esse, nec necessariam etc.

d) Apostolicam successionem adeo non habent Protestantes, ut 1) potestatem pontificis et episcoporum refugiant, et 2) uti in doctrina, ita etiam in gubernatione ecclesiae varient.

* Absit tamen, ut omnem idcirco veritatem coetibus Acatholicorum denegemus. 1) Inprimis per baptismum veram Christi ecclesiam ingrediuntur Prote-

stantes, et maximam doctrinae christianae partem — saltem juxta symbola sua — habent: 2) tum vero apud multos error et ignorantia ob circumstantias externas, ob praejudicia educationis, ob scandala et abusus, qui inter catholicos interdum cernuntur etc. vel culpa vacat, vel excusari debet; uti jam S. Augustinus ep. 43. al. 162. scripsit: „Dixit quidem apostolus Paulus: Haereticum hominem post unam correptionem devita, sciens, quia subversus est ejusmodi, et peccat, et est a semetipso damnatus: Sed qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumtionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi."

§. 216.

Cum igitur novo argumento constet, ecclesiam catholicam esse veram, et aliis anteferendam, ipsa ratio

a) jubet, eam amplecti: nam religionem, quam Christus per Apostolos promulgari fecit, et instituta, quae ipse dedit, religiose servare semper et ubique debet, quisquis christiano nomine censeri vult; in illis omnibus nihil immutare unquam licet; solicite etiam indagare et conari tenemur, ut ea omnia et cognoscamus et teneamus, quae Christus proposuit: secus aut desidiae, aut indifferentismi vitium committeremus.

* Ecclesiam catholicam ipsa quoque historia commendat: ea enim 1) per octodecim saecula vicit om-

nis generis impugnationes, nempe haereses et schismata, tyrannidem persecutorum, ignorantiam, malitiam, fanatismum etc. — et inter omnes rei sive politicae, sive litterariae vicissitudines sola stetit: 2) omni tempore beneficam sese exhibuit et praestantem — plurimorum martyrio et sanctitae; post Constantinum Magnum amandatis ex orbe tenebris et sceleribus, ac propagatione religionis christianae ad gentes barbaras et impias; dein medio aevo per sua instituta, per monachos etc. literaturam et pietatem salvavit; demum Romani pontifices, licet inter eos non nulli fuerint, qui degenerem ducerent vitam, veram Christi doctrinam nunquam non defenderunt, et ad nostros usque dies per missiones lumen fidei melioresque mores ad nationes barbaras transferre non sine successu satagunt. cf. Stagni von dem Einflusse der kathol. Religion auf das Wohl der Regierungen etc. Augsburg 1806. — Chateaubriand „Die Schönheiten des Christenthums oder Religion und Gottesdienst der Katholiken. Solothurn bey Schwäller 1820.

b) Vetat autem idcirco asseclas aliarum ecclesiarum damnare.

1) Quamvis enim in thesi cum S. Cypriano dicamus: „Extra ecclesiam non est salus:“ et cum s. scriptura: „Absque Christo non est salus:“ in hypothesi tamen exceptiones multae dantur.

2) Unde memores verborum Christi, „Nolite judicare, ut non judicemini: — quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis!“ — Estote perfecti, sicut pater vester coelestis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos etc. omnes et singulos, qui a nostra dissident ecclesia, vera et ingenua complectimur charitate, eosque et opere et

assiduis

assiduis ad Deum precibus juvare, et tum exemplo, tum opportunis pro nostra facultate mediis ad agnoscendam veritatem adducere obligamur. Quisquis amat et veritatem, et proximum, non potest non optare et pro viribus contendere, ut veritas ab omnibus agnoscatur et ut unum fiat ovile et unus pastor.

*

* *

Ex iis, quae ultimo hoc paragrapho dicta sunt, facile intelligitur, quae sit catholicorum mens de sic dicta tolerantia, quam, ut ipse Fridericus, rex Borussiae, dixit, Protestantes ore celebrant, catholici autem opere exercent. Catholici nempe eos, qui a fide ecclesiae aberrant, non solum tolerandos, sed etiam amandos esse credunt, et profitentur; errores autem ipsos reprobant, et reprobandos esse dicunt.

Pariter facili negotio colligi inde potest, quid sit respondendum iis, qui catholicae ecclesiae vitio vertunt, quod ea inde ab exordio suo proselytos facere studuerit, et nostris adhuc diebus omnes, qui ab ecclesia catholica dissident, invitare, vocare et adhortari pergat, ut relicto schismate in maternum ecclesiae sinum redeant. Quid hac de re sentiam, ingenue profiteri mihi liceat!

Der gröfste Proselytenmacher, (sit venia verbo!) welcher je auf dieser Erde gelebt hat, ist kein anderer, als Jesus Christus selbst. Er, das Licht der Welt; das wahre Licht, das da erleuchtet jeglichen Menschen, der in diese Welt kommt; Joh. I, 10.

Er, der gute Hirt, der sagt bey Joh. X, 16. „Ich habe noch andere Schaafe, die nicht aus diesem Schaafstalle sind; und dieselbigen mufs ich auch herbeyführen, und sie werden meine Stimme hören, und es wird Eine Heerde und Ein Hirt werden.“ Er, dem gegeben ist alle Gewalt im Himmel und auf Erden; der seinen Aposteln den feyerlichen Befehl giebt, hinzugehen in die ganze Welt, alle Völker zu lehren, was Er gelehrt hat; Matth. XXVIII. der allen, die diese Lehre vernehmen, seinen Willen feyerlich erklärt, dafs sie auch glauben und halten sollen, was Er befohlen hat. Marc. XVI.

Gewifsenhaft und eifrig befolgten die Apostel diesen letzten, so feyerlichen Auftrag ihres scheidenden Herrn und Meisters. Sie giengen hin in alle Länder, predigten Juden und Heiden, um Juden und Heiden für Christus, und für seine Lehre zu gewinnen. Sie stellten wieder andere auf, die auch lehren, und das Christenthum erhalten und fortpflanzen sollten. Auf diesen feyerlichen Befehl sah und sieht die katholische Kirche immer hin; sie schickte von Zeit zu Zeit neue Apostel aus. Unser liebes Deutschland — in den Finsternifsen eines schändlichen Aberglaubens, und des widersinnigen Götzendienstes würde es noch liegen, wenn nicht katholische Proselytenmacher gekommen wären, und das Licht des Glaubens da angezündet, und — nicht selten mit ihrem eigenen Blute — das Christenthum gepflanzet hätten.

Ich kenne gar wohl den grofsen Unterschied zwischen Heiden und Acatholiken. Allein die Wahrheit ist nur Eine: wo sie seyn will, mufs sie ganz,

und unveränderlich seyn. Jesus hat uns nur Eine Lehre gegeben, welche rein und vollständig bey uns bleiben mufs; von welcher keine Abweichung gestattet ist: cf. §. 154. nur Eine Kirche hat Er gestiftet, die nicht überwältigt werden kann von den Pforten der Hölle, Matth. XVI. in welcher wir nicht von jedem Winde der Lehre hin und her getrieben werden sollen. Eph. IV.

Wer möchte es auf sich nehmen die Worte unsers Herrn; die Worte und das Beyspiel der Apostel; die rastlosen Bemühungen unzähliger, apostolischer Männer zu tadeln, oder zu verwerfen? Wer darf es auf sich nehmen, der katholischen Kirche einen Vorwurf daraus zu machen, wenn sie nach dem Worte und Beyspiele des Herrn und der Apostel unaufhörlich wünschet und strebet, nicht nur die Leuchte des Glaubens dort hinzubringen, wo noch herrschen die Finsternifse des Unglaubens; sondern auch zurückzuführen zu der Einen Heerde alle und jede, die diese Eine Heerde verlafsen haben? Wer liebt Jesum so ganz, wie er Jesum lieben soll, und darf es dem Katholiken verargen, wenn dieser täglich bethet, dafs aufgehoben werde alle Spaltung und Trennung; das alle gelangen mögen zur Einheit des Glaubens; wenn dieser nach seinen Kräften sich bemühet herbeyzuführen jene selige Einheit?

Vor Gewalt, und vor List haben sich unsere von uns getrennte Brüder hiebey gar nicht zu fürchten: denn jeder ächte Katholik kennt und will kein anderes Mittel zu diesem edlen Zwecke, als jenes, welches der liebenswürdige Graf zu Stolberg Gesch.

der Rel. X. Th. S. 136. angiebt: „Apostolische Lehre und apostolischer Wandel werden, wo sie mit vereinter Kraft wirken, immer den Nebel des Irrthums verdünnen, und zuletzt zerstreuen. So wirkte der heilige Franz von Sales, wie uns Hr. Rensing schön beschreibt: „Die Lebensgeschichte des heiligen Franz von Sales. Paderborn 1818.

Pars IV.

Regula fidei catholicae, sive de criteriis theologiae catholicae.

§. 217.

Ostensa veritate religionis et ecclesiae catholicae, priusquam ad doctrinas fidei catholicae, in theologia speciali explicandas progrediamur, regula fidei catholicae est praemittenda, ut a) ea, quae ad fidem catholicam pertinent, agnosci, et dignosci queant;

b) et ita secreta recto ordine ac modo ostendantur.

* Confusio opinionum scholae cum doctrina ecclesiae quam maxime est vitanda, ut religio pura populo tradi, ac defendi possit contra adversarios, qui opiniones scholae pro dogmatis venditare, et falsa etiam dogmata ecclesiae catholicae affingere amant.

** Tessera nostra esto dictum S. Augustini ad Januar: „In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas!“

§. 218.

Omnis autem de regula fidei institutio circa fontes versatur et circa eorum usum, ut doctrinae catholicae inde deduci possint, earumque veritas probari queat.

* Regula fidei theologiam generalem cum speciali connectit: ad hanc enim praeparat, fluens ex illa.

§. 219.

Regulam fidei catholicae generalem Veronius catholicis omnibus consentientibus breviter ita describit: „Illud omne et solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab ecclesia catholica fide divina credendum.“ Itaque regula fidei catholicae constat

a) revelatione Rom. X, 17. quae sola fidem divinam fundat, et

b) propositione doctrinae revelatae facta ab ecclesia I. Tim. III, 15. qua in re catholici ab acatholicis differunt.

* Non eget quidem verbum Dei verbo ecclesiae; at nos eodem egemus, ut de illo nobis constet. Reciprocum quasi officium sibi revelatio et ecclesia praestant; uti illa ecclesiam commendat, eique materiam praebet, ita ecclesia verbum Dei sequitur, et sequendum proponit.

** Haec regula quam S. Irenaeus, Tertullianus de praesc. S. Vincentius Lirin. in common. et praesertim S. Augustinus servarunt et commendarunt, post tentatam a Luthero reformationem a multis magis exculta fuit, quos inter praecipue nominandi veniunt Veronius „Regula fidei,“ Fratres de Wallenburg „de controversiis,“ Bossuet „expositio fidei etc.“ Holden „divinae fidei analysis“ et Chrismann: „regula fidei.“

§. 220.

Fontes jam theologiae catholicae sunt 1) auctoritas Dei revelantis: soli etenim Deo omnes homines fidem habere debent; et primum hunc ac praecipuum fontem ratio et ecclesia reveretur: 2) auctoritas ecclesiae declarantis; utpote quam Deus revelationis custodem et interpretem constituit, et continua assistentia regit: 3) auctoritas demum rationis comprobantis recte adjungitur; nam ratio principia saepe evolvit, et corollaria subjungit, et insignem usum praestat in dogmatis colligendis, disponendis, illustrandis et defendendis.

* „Contra rationem nemo sobrius, contra scripturam nemo christianus, contra ecclesiam nemo pacificus senserit.“ S. Augustinus.

§. 221.

De hisce fontibus ad exemplum logices 1) theoria solida, clara et succincta: dein 2) praxis argumento et tempori accommodata tradi debet.

Caput I.

Auctoritas Dei.

§. 222.

Revelationis divinae effata in scriptura et traditione continentur, uti historia docet, et catholici confitentur. Unde duplex hujus capitis sectio oritur

1) de s. scriptura; et
2) de traditione.

* Apostoli a Christo et a Spiritu S. edocti doctrinam religionis christianae partim per scripturam, partim viva voce mundo communicarunt, Unde Tridentinum sess. IV. declarat, 1) omnem salutarem veritatem, et morum disciplinam per apostolos tanquam per fontem, esse praedicatam; eamque contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus.

Sectio I.

De sacra scriptura.

§. 223.

Sacra scriptura est complexus librorum, qui a Christianis pro sacris habentur, et dividuntur

1) in libros Veteris et Novi Testamenti; illi nempe jam ante Christum a prophetis Israelitarum conscripti doctrinam et historiam Judaismi exhibent; isti vero a discipulis Christi conscripti doctrinam et historiam Christianismi continent:

2) libri tam V. quam N. T. alii vocantur protocanonici, qui a sua origine semper et ubique pro sacris fuerunt habiti; alii autem deuterocanonici, qui aliquamdiu vel apud aliquos in dubium vocabantur.

Articulus I.

Theoria de s. scriptura.

§. 224.

Theoria de s. scriptura juxta Trid. sess. IV. tribus constat punctis, nempe 1) de divinitate seu inspiratione,

2) de canone et

3) de versione vulgata scripturae, quibus argumentum pro authentia librorum deuterocanonicorum praemitti debet, quam divinitas scripturae supponit.

* Authentia librorum protocanonicorum in theol. gen. jam fuit ostensa.

** Primo nempe nosse debemus singularem illum, et soli sacrae scripturae proprium characterem, quem divina inspiratio ei tribuit. Dein constare debet, quinam sint illi libri, quibus solis et omnibus character iste competat, seu quis sit sacrae scripturae canon. Demum quia sacros libros plerumque in versione legimus, quae sit authentica versio, indagandam est.

§. 225.

Libri deuterocanonici utriusque testamenti sunt authentici et auctoritate pollent.

a) Sunt autem libri deuterocanonici

1) Veteris Testamenti — libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, et duo libri Macchabaeorum, Baruch cum epistola Jeremiae, simulque apud Danielem historia Susannae Dan. XIII. Belis et Draconis Dan. XIV. et in libro Esther X, 4. usque ad finem libri, sex nempe capita ultima:

2) Novi Testamenti — epistola ad Hebraeos, epist. II. Petri, epist. II. et III. Joannis, epist. Jacobi et Judae, Apocalypsis; quibus accensentur Marci XVI. a v. 9, usque ad finem, historia de agone Christi Luc. XXII, 43. sqq. et historia adulterae Joan. VIII.

b) Horum jam librorum authentia simulque auctoritas colligitur

1) ex antiquis versionibus — graeca nempe, syriaca, et arabica; inprimis ex vulgata latina, quae primo jam saeculo facta in ecclesia occidentali ubique et semper in usu publico erat, et omnes etiam deuterocanonicos libros sine discrimine complectebatur:

2) ex sensu ecclesiae in conciliis post factam diligenter discussionem declarato — nimirum in conc. Hippon. de anno 393. in Carthag. III. de anno 397 et Carth. VI. de anno 419: ex epistola decretali S. Innocentii I. ad Exuperium Tolos. de anno 405. Sensui huic ecclesiae Africanae et Romanae consentit ecclesia Orientalis in conc. Constantin. de anno 692.

* Patres Africani anno 397. sensum praecipuarum et antiquarum ecclesiarum indagantes statuerunt: „ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine scripturarum divinarum“ et dein recensitis omnibus libris etiam deuterocanonicis: addiderunt: „De confirmando isto canone transmarinae ecclesiae consulantur:“ et anno 419. declararunt: „quia a Patribus ista accepimus in ecclesia legenda:“ S. Innocentius autem eosdem libros recensens declarare voluit, „quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret.“

** Patres primorum saeculorum ex omnibus libris deuterocanonicis textus citarunt sine discrimine. cf. Stolberg tom. IV. p. 686 — 784.

3) Ipsi denique libri deuterocanonici protocanonicis quoad argumentum inferiores haud sunt, et libri Judith et Tobiae cum historiis in libro judicum; historia Machabaeorum cum historia Regum; et

libri Sapientiae ac Ecclesiastici cum Proverbiis et Ecclesiaste analogiam habent; et epistolae Novi Testamenti aliis libris Novi Testamenti tum quoad argumentum, tum etiam quoad stilum satis conveniunt.

* Hebraei libros V. T. deuterocanonicos canoni non inseruerunt, quia ii post clausum canonem sunt confecti, tum etiam quia alia, quam sacra Hebraeorum lingua primitus fuerant exarati, praesertim quia illorum inspiratio nullo expresso alicujus prophetae testimonio fuerat declarata. Christiani autem primis saeculis publicum canonem non confecerunt, et canonem Judaeorum immutare noluerunt.

** Libri autem deuterocanonici N. T. ab aliquibus in dubium vocabantur, quia alicubi serius innotuerunt, vel quia auctor eorum omnino certus non erat, vel quia ii opinionibus haereticorum favere credebantur.

§. 226.

Primum doctrinae caput, quod catholici de s. scriptura tradunt, concernit ejusdem divinitatem sive inspirationem. Ubi quidem

a) non solum asserimus, 1) divinum in s. scriptura extare argumentum; seu doctrinam, in ss. libris relatam, divinitus esse revelatam, uti alibi jam fuit ostensum: 2) neque solum s. scripturae divinam tribuimus auctoritatem in rebus ad religionem pertinentibus; id quod omnes christiani concedunt, qui religionem ex s. scriptura petendam esse consentiunt: sed

b) divinam etiam eidem adscribimus originem, et quidem non tantum mediatam, quod Deus multiplici ac peculiari procuratione ad existentiam scripturae concurrerit; sed etiam immediatam, sive

quod Deus sacros scriptores in ipso actu scriptionis ita afficerit, ut ipse auctor scripturae dici possit.

* Momentum hujus doctrinae patet 1) ex natura rei; agitur enim de peculiari actione Dei, quam Catholici in publico religionis instrumento reverentur; et 2) ex historia, quia Protestantes — in defendenda et extendenda inspiratione antea vix non nimii — hodie passim eam extenuant, aut omnino inficiantur. Unde inspirationis notionem accurate definire, possibilitatem ejusdem ostendere et veritatem evincere oportet. cf. theol. pract. Monathschrift von Linz. I. Jahrg. 1802.

§. 227.

Inspiratio divina s. scripturae denotat singularem Dei actionem, qua Deus in mente scriptoris seriem idearum divinis conceptibus conformem producit, et ad eam scribendam scriptorem impellit.

a) Haec notio consentit 1) cum formulis biblicis de verbis Dei in ore hominum positis Deut. XVIII, 18. Jer. I, 6, 7. et de jussu scribendi Exod. XVII, 14. Isa VIII, 1.

2) cum usu loquendi, ex quo significatum vocum primario et tutissime discimus, juxta quem divino spiritu acti seu inspirati dicuntur, quorum sensus in animo exorti, et sermones, in quos mens concitata erumpit, ad Numen referuntur. Ita gentiles de suis vatibus, judaei et christiani de sacris scriptoribus judicarunt.

b) Quum autem scriptio actio sit composita, diversi etiam influxus divini gradus discerni possunt

1) in cogitationes — revelatione, suggestione, directione speciali;

2) in voluntatem — vel jussu aperto, vel motione occulta;

3) in verba et ordinem — dictando aut adjuvando etc.

c) Sola adprobatio divina, scripturae modo naturali confectae postea accedens, non sufficit; haec enim eidem auctoritatem, non originem divinam tribuit.

* Inspiratio vires scriptorum naturales, earumque usum non tollit, sed adjuvat. Ea tamen a sola directione differt, quae etiam in effatis ecclesiae datur.

§. 228.

Possibilis est talis inspiratio; logice quidem, quia conceptus ejusdem nullam contradictionem involvit: dein physice, quia Deus talem concursum praestare, et homo undequaque a Deo pendens eundem recipere potest: et moraliter, quia is Dei influxus omne prorsus dubium, omneque erroris periculum a scriptura removet eamque tutissimam fidei nostrae normam efficit. „Si enim in sacro quovis libro una quaelibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit.“ S. Aug. l. III. de conc. Evang. c. 12.

* Cum inspiratio miraculum psychologicum sit, omnes ejus apices determinare velle et superfluum et impossibile est.

§. 229.

Libros Veteris Testamenti revera inspiratos esse, non contemnendo argumento ex ipsis ss. literis inferri potest.

a) Aliqui sacri scriptores de aliquibus saltem V. T. partibus divinam praedicant inspirationem. Moyses memorat, se victoriam adversus Amalec Ex. XVII. et canticum Deut. XXXI. ex divino scripsisse mandato. David II. Reg. XXIII, 2. Spiritum Domini per os suum locutum dicit, et ps. XLIV, 2. linquam suam calamum scribae velociter scribentis vocat, Prophetae, Isaias VIII, 1. Jeremias XXX, 2. Habacuc II, 2. Ezechiel XXIV, 2. partes, et Daniel XII, 4. se totum librum jussu divino, qui inspirationem et directionem importat, scripsisse innuunt.

b) Judaei libros suos sacros pro inspiratis habuerunt, quam quidem Judaeorum fidem Christus et apostoli adprobarunt: Christus enim dogmata de resurrectione Mtth. XXII, 32. de sua dignitate ibid 43. sola Veteris Testamenti allegatione probavit, et Jo. V, 39. ad scripturas, et alibi ad legem, psalmos et prophetas Jo. X, 35. Luc. XXIV, 27, 44. provocavit: Apostoli etiam et Evangelistae frequenter citato V. T. textu asserta sua probant Act. I. 16. XXVIII, 25. Eph. VI, 2. scripturas eloquia Dei vocant Rom. III, 2. et scriptores a Deo actos dicunt Hebr. I, 1. et II. Petr. I, 28, 21.

c) Memorabilis praesertim est locus II. Tim. III, 15, 16. „Omnis scriptura“ (utique vet. test. quam S. Timotheus ab infantia didicerat.) „divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia:“ ubi Paulus totius Veteris Testamenti inspirationem vel supponit, vel omnino praedicat.

§. 230.

Simile argumentum pro inspiratione librorum Novi Testamenti fieri potest ex

promissionibus Jesu Christi, quae non ad oralem tantum praedicationem, sed ad scriptionem etiam, ceu partem muneris apostolici jure pertinent.

a) Promisit enim Christus Mt. X, 19, 20. „Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.“ Ad quae verba ipse Doederlein advertit: „Si ad judices loquentibus verba praeteritura prospiciendum, ne inepta loquerentur, magis mansura ad omnem posteritatem scripta edentibus.“ Quantum ibi momentum praesentia periculi, tantum hic habet gravitas.

Dein Mt. ult. Jo. XIV — XVI. et Luc. ult. Christus promittit spiritum veritatis constanter apud Apostolos manentem, qui antiqua suggerat, nova doceat, et fortitudine animi ac potestate miraculorum Apostolos instruat: qui quidem effectus si in docendo, a potiori in scribendo necessarii erant.

b) Unde etiam Apostoli omnes contendunt, Evangelium vere esse a Deo Gal. I, 12. I. Thess. II, 13. seque non humana sapientia, sed spiritu Dei agi I. Cor. II, 4 — 13. et divinam apostolatus auctoritatem ostendunt; quae omnia rursus ad ipsam scriptionem jure extenduntur.

* Vitium circuli in proposito argumenti genere non committitur, quia auctoritas Christi, Apostolorum et Prophetarum aliunde constat.

** Plures contra allatum argumentum moveri posse difficultates, ipse non diffiteor: sed exinde praerogativa theologiae catholicae patescit, utpote quae sola decretorium argumentum ex auctoritate ecclesiae proferre potest.

§. 231.

Commune pro inspiratione totius sacrae scripturae, et decretorium argumentum praebet constans, universalis et publicus ecclesiae sensus.

a) Sensus ille, et quidem 1) practicus patet ex eo, quia ecclesia inde ab origine sua ex s. scriptura institutionem christianorum in fide et pietate, et refutationem errorum et haeresum desumsit, corruptionem vel mutilationem ejusdem ceu haeresin et injuriam in Spiritum S. rejecit, et ullam propriam antilogiam in ea reperiri posse negavit:

2) theoreticus autem tum ex Ss. Patribus colligitur, qui totam scripturam sine discrimine Deo inspirante esse exaratam unanimes docent, eam vocant sanctam, divinam, oracula Spiritus Sancti; et scriptores appellant organa, instrumenta, plectra Dei etc. S. Clemens Rom. I Cor. 45. scribit.: „Diligenter scripturas, Spiritus Sancti vera oracula, divina eloquia introspexistis.“ cf. Schaeffer inst. script. P. I. tum ex conciliis, Carthag. III. et Romano, ex decreto Eugenii IV. et demum ex Tridentino, quod juxta exemplum Patrum orthodoxorum sub anathemate definit, omnes ss. libros in vulgata editione pro sacris et canonicis esse habendos etc.

* Ss. Basilius, Chrysostomus et Hieronymus circa gradum, non autem circa essentiam inspirationis dissentiunt.

b) Sensus iste ecclesiae non tantum omnem meretur venerationem propter consensionem, perpetuam durationem summamque antiquitatem, qua Apostolis coaevus est; sed indubium etiam praestat argumentum

mentum ob assistentiam Spiritus Sancti, divinitus promissam, quae ecclesiam errare non permittit in agnoscendo primario fonte, ex quo religio est haurienda.

§. 232.

Ipsa denique ratio humana inspirationem, solido argumento probatam, ut grata acceptet, haud levibus movetur momentis. Inspirationem enim ad tutissimam et efficacissimam religionis propagationem et conservationem quam optime servire, adeoque et divinae sapientiae ac bonitati respondere facile intelligit. Praeterea in libris istis, utut inter se diversis, unum tamen et commune miserentis Dei pro salvandis hominibus consilium invenimus, summam materiae dignitatem et foecunditatem, mirabilem stili nobilitatem aeque ac simplicitatem, et insignem ad excitandos et fovendos pietatis ac tranquillitatis sensus vim deprehendimus, ut jam divinum ad conscribendos tales libros influxum suspicari liceat.

* Objiciunt: 1) Scriptores ea, quae referunt, vel per se, vel per alios nosse: — 2) eosdem in scribendo laborasse, et formulas ambiguas adhibere, quasi, circiter etc. — 3) interdum vel in rebus, vel in citationibus dissentire: — 4) exigua nimis adjuncta, et 5) saepe mala referre.

℟. 1) Inspiratio differt a revelatione, quae res antea ignotas manifestat: — 2) eadem usum virium naturalium non tollit, sed adjuvat, et formulas ambiguas, in communi loquendi modo usitatas, non respuit: — 3) antilogias et imperfectas citationes jam pridem sustulerunt interpretes: (Notandum, ex iis authentiam, et usum virium humanarum sequi) 4) Quae exigua videntur, saepe vel ad ornatum

sermonis, vel ad integritatem narrationis, vel ad simplicitatem fidei haud parum conducunt: 5) Scriptores non ex propria semper sententia loquuntur, sed saepe more historicorum ea, quae contigerunt, sive bona, sive mala, referunt; in quibus veritas relationis a veritate vel bonitate facti discerni debet. Notanda est limitatio, si scriptores vel dicta aliorum referunt, v. g. „Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus" vel de rebus physicis, ad religionem non pertinentibus agunt. Nam in illis partes historici implent, in his vulgarem sentiendi ac loquendi modum sequuntur.

** Protestantium primores, quibus scriptura una fuit credendi norma, divinae inspirationis efficaciam vel ad singula verba, et ad minimos quosque apices extenderunt. Ast a 50. annis duce Semlero multi Protestantium inspirationem extenuant, alii cum eam ex authoritate ecclesiae probare recusent, frustra laborant in adornando alio argumento, alii eandem omnino rejiciunt, uti Henke, et Tieftrunk, qui magno verborum plausu vel veteres objectiones repetunt, vel novas concinnant, dicentes:

1) crudum Judaeorum conceptum ad Graecos, imo ad christianos transiisse, Christo et Apostolis conniventibus accommodationis venia:

2) Theopneustiam, qua factum historicum, probari debere et quidem argumento divino, quod nondum fuerit prolatum:

3) Multa in scripturis extare, quae loco tantum certo et tempori conveniant:

4) eandem quidem a Catholicis ex decisione ecclesiae derivari; ast quo jure?

R. 1) Inspirationis conceptus tam parum rudioris populi partus est, quam illc revelationis: nec rudem indigestamque molem dixeris, quae a Judaeis ad nos delata est doctrina; nec Christo unacum Apostolis turpe accommodationis genus tribui potest:

2) Theopneustiam nos Catholici divino probamus argumento ex auctoritate Christi, divinam ecclesiae suae assistentiam praebentis:

3) Sunt quidem in scripturis non nulla loco et tempori servientia. Verum et hoc juvat ex divinis tabulis rescire, quo modo Dominus et tempori consuluerit et familiis particularibus, et omnia ac singula ad salutem hominum universalem disposuerit.

4) Non theopneustiam ecclesiae tribuunt Catholici, sed factae aliquando inspirationis notitiam certam, et quidem jure optimo, quandoquidem, quidquid divinitus traditum est ad solamen hominum, non potuerunt nescivisse Apostoli, eorumque successores, quibus promissa a Christo adest divina assistentia.

§. 233.

Corollaria. I. Ex consensu ecclesiae et synagogae libri omnes s. scripturae scripti sunt sub influxu supernaturali, qui inspirationem ex parte voluntatis, et directionem saltem ex parte intellectus importat. — Dixi saltem, quia interdum revelatio vel suggestio requirebatur.

II. Auctor scripturae (non tantum argumenti) principalis est ipse Deus, secundarius autem, attamen et moralis est ipse scriptor sacer.

III. Veritas scripturae competit, seu a) omne dogma, quod in ea certe traditur, omnino veritati conforme est, nec alia adhuc probatione indiget, nec ulla dubitatione refelli potest; b) nullumque in ea caput datur, quod religioni repugnet, vel a veritate aliunde nota juxta consensum humanum alienum sit. cf. Muratorius de ingen. moder. l. I. c. 21.

IV. Auctoritatem simul scriptura habet tam normativam, ut testimonia ejus clara ac perfecta pro regula fidei ac morum assumantur, quam judicialem, ut siqua de religione quaestio mota fuerit, ea ex legitima scripturae interpretatione tolli possit. Utramque hanc auctoritatem scriptura vi suae a Deo originis habet, et ecclesia semper agnovit.

* Judicialis auctoritas ita est exponenda, ut Deus ceu judex supremus, scriptura ceu lex, et ecclesia ceu magistratus judicet.

** Auctoritatem scripturae aliis etiam in rebus temere violare nefas est.

§. 234.

Licet in credenda totius s. scripturae inspiratione omnes consentire debeamus, in definiendo tamen inspirationis gradu libertas datur, ita tamen, ut et nimia liberalitas et parcitas nimia vitetur.

a) Gradum enim inspirationis nec ipsa s. scriptura decidit, nec Sancti Patres ea in re conveniunt, nec Tridentinum illum definivit, abstinens a quaestionibus scholae.

* Equidem academiae Duacensis 1587. et Lovaniensis 1588. tres propositiones Lessii et Hamelii damnarunt:

I. „Ut aliquid sit scriptura s. non est necessarium, singula ejus verba esse a Spiritu S.“

II. „Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae immediate (i. e. per novam revelationem) a Spiritu S. sint inspiratae.“

III. „Liber aliquis (qualis forte est secundus Maccabaeorum) humana industria sine assistentia Spi-

ritus Sancti conscriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur, nihil ibi esse falsum, efficitur scriptura sacra.“

Verum priores duas propositiones jam antea Cajetanus et Canus defenderant, et postea universitas Parisiensis cum Bellarmino, Bonfrerio, Calmeto etc. amplexa est; imo controversia isthaec cum Romae sub Sixto V. et Innocentio XI. agitaretur, nulla facta est decisio. Tertia autem propositio jure rejicitur a Catholicis, quia adprobatio illa scripturae auctoritatem quidem, non tamen originem tribuit divinam.

b) Liberalitas nimia Deum absque utilitate bonorum suorum prodigum facit; scriptorum ingenium, cujus vestigia manifesta cernuntur, deprimit et verbolatriam cabbalisticam inducit: parcitas autem nimia Deum reddit parcum, opinionem privatam sensui ecclesiae publicae anteponit et scripturam in suspicionem adducit circa ipsam religionem.

* Nolim ergo periculosam tenere opinionem, quae scriptores in rebus historicis, chronologicis, physicis, aliisque opportune insertis proprio suo ingenio relictos esse censet. Ex hac profecto opinione Protestantium non pauci ad sententias auctoritati s. scripturae contrarias successive progressi sunt. cf. Klüpfelii instit. theol. a Rvdmo. Greg. Ziegler. P. I. p. 411.

§. 235.

Unde statuere licet, a) gradum inspirationis non semper fuisse eundem, qualis nec requirebatur, nec Deo conveniebat: sed

b) diversum pro ratione finis et materiae et pro facultate scriptoris, quibus Deus suum attemperavit influxum.

1) Finis Dei generalis fuit, ut fides nostra et religio firmaretur, omneque erroris periculum excluderetur:

2) Materia varia est, vel doctrina, vel historia, vel prophetia, vel accidentalia. Quare nunc revelatio, nunc suggestio, nunc directio fuit conveniens, ac proin inspiratio nunc ad verba, nunc ad substantiam fuit extensa.

3) Quoad facultatem scriptores magis vel minus jam erant praeparati. Unde fortius auxilium prophetae ac doctori, quam historico praesto fuit; inspiratio enim ordinem naturae non destruit, sed adjuvat et perficit — pro fine, argumento et facultate scriptoris.

c) Qualis autem in quovis loco fuerit, determinari non potest, quia medium deficit circa miraculum psychologicum influxum Dei et partes ac vires hominis scribentis metiendi; nec etiam debet, quia sufficit divinitatem totius scripturae nosse, ut rectus fiat usus.

§. 236.

Alterum effati Tridentini punctum concernit canonem, sive catalogum librorum inspiratorum. a) Canon in genere est regula, ad quam alia examinantur et diriguntur: ex usu autem ecclesiastico varie haec vox accipitur, latius tum pro indiculo hominum, quibus diurnum pensum praebetur, vel pro indiculo clericorum tabulis publicis descriptorum, tum pro catalogo librorum usibus publicis auctoritate ecclesiastica destinatorum; stricte vero pro catalogo librorum, quos ecclesia pro divinitus inspiratis, ac proin pro regula fidei proponit.

b) Canon Tridentinus omnes complectitur libros cum omnibus suis partibus, prout in Vulgata habentur; nempe

1) V. T. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josue; Judicum; Ruth; libri IV. Regum; Paralipomenon libri II; Esdrae I, et Esdrae II, qui dicitur Nehemias; Tobias; Judith; Esther; Job; Psalterium; Parabolae: Ecclesiastes; Cant. Cant. Sapientia; Ecclesiasticus. Isaias: Jeremias: Baruch: Threni: Ezechiel: Daniel: Osee: Joel: Amos: Abdias: Jonas: Michaeas: Nahum: Habacuc: Sophonias: Aggaeus: Zacharias: Malachias: libri II. Machabaeorum.

2) N. T. Evangelium S. Mathaei; S. Marci: S. Lucae: S. Joannis: Actus Apostolorum: epistolae S. Pauli ad Rom. ad Cor. II, ad Gal. ad Eph. ad Philipp. ad Coloss. ad Thessal: II. ad Tim. II; ad Titum; ad Philem: ad Hebr. Epistola S. Jacobi; ep. S. Petri II. ep. S. Joannis III. ep. S. Judae: Apocalypsis S. Joannis.

§. 237.

Veritas canonis istius ex traditione apostolica et potissimum ex solemni ecclesiae declaratione, in concilio Tridentino edita, constat.

a) Primitiva enim ecclesia ad exemplum Christi et Apostolorum libros V. T. protocanonicos omnes accepit pro inspiratis; deuterocanonicos autem, licet eos Ss. Patres, de canone tractantes cum Judaeis distinquerent, promiscue tamen citarunt sicuti protocanonicos; libros N. T. protocanonicos itidem omnis

ecclesia ceu inspiratos agnovit; de deuterocanonicis equidem primis saeculis ecclesiae particulares non consentiebant; verum ubi res ista ex instituto examinari et traditio ecclesiarum, potissimum apostolicarum indagari coepit, ecclesia Africana et Romana ad finem saeculi IV. omnes omnino libros tam proto - quam deuterocanonicos canoni inserendos agnovit et declaravit, cui declarationi ecclesia Orientalis primum per silentium episcoporum, dein etiam publico effato consensit. cf. §. 225. Solemnis demum ecclesiae definitio in Tridentino sefs. IV. fuit data.

b) In ista jam traditione et ecclesiae declaratione indubitatum veritatis criterium habemus: aliter enim hac de re constare non posset, uti ex sensu primorum christianorum, et ex ipso acatholicorum circa canonem dissensu patet: dein promissa a Christo assistentia divina in agnoscendo et definiendo primario religionis fonte certe adfuit ecclesiae, ne divina origo aut veris abnegetur, aut falsis attribuatur.

* Acatholicos quod spectat, familiare ipsis fuit scripturam quidem assumere, sed simul libros ejus aliquos aut prorsus rejicere, aut mutilare.

1) Ex antiquis Simoniani sec. I., Marcionitae sec. II. Manichaei sec. III. et Albigenses sec. XI. Vetus Testamentum rejecerunt; Elcesaitae evangelium rejecto Apostolo, judaizantes Mathaeum rejecto Paulo, gentilizantes Paulum rejecto Matthaeo, et Alogi rejecto Joanne alios sequebantur libros.

2) Protestantes in varias abeunt classes. Veteres quidem omnes libros deuterocanonicos utriusque testamenti rejici jusserunt: ex recentioribus alii deuterocanonicos N. T. excepta ab aliquibus apocalypsi recipiunt, Veteris autem Testamenti deuterocanoni-

cos negligunt, alii tum pro spiritu suo privato, tum ex sublimiori, ut ajunt, critica aut hos aut illos ex protocanonicis etiam libris aut rejiciunt, aut in dubium vocant.

** Non est, cur Protestantes decreto Tridentini concilii offendantur; nam argumentum librorum deuterocanonicorum ordini salutis non repugnat, sed potius consentit; fundamentum pro eorum divinitate satis grave suppetit, et a legitima potestate adprobatur; sensus ecclesiae antiquae ad agnoscendam librorum protocanonicorum authentiam ab ipsismet adhibetur; demum sine tali criterio circa primariam fidei regulam certitudo haberi non potest.

§. 238.

Libris canonicis vel in textu originali vel in versione utimur; opus ergo est, ut et de hac, et de illo, quae theologo scitu necessaria sunt, commemorentur.

a) Libri V. T. protocanonici quoad maximam partem lingua hebraica fuerunt exarati; libri deuterocanonici graeca. Novi Testamenti libri quoad maximam partem, aut omnino omnes graece sunt conscripti. cf. Sandbichler „Ueber die Zuverläfsigkeit des Grundtextes.

* Autographa V. et N. T. perierunt Deo permittente, ne forte literam superstitio coleret. Inde tamen nullum scripturae sacrae praejudicium accedit, quia apographa et versiones suppetunt, quae substantiam revelationis integre exhibent. Certe ipse Christus et Apostoli ex versione LXX. textus citarunt.

b) Praeter textum originalem multas habemus versiones, quae quidem si necessariis polleant proprietatibus, insignia praestant emolumenta.

* Suavis Dei providentia, quae religionem christianam toto terrarum orbe diffundi voluit, plurimas scripturae versiones in omnibus omnium fere nationum linguis procuravit. In Oriente praecipue Syriaca, Arabica, Aethiopica, Armenica, Persica etc. in Occidente Latina, Gothica, Ruthenica etc. memorantur.

** Inter latinas versiones editio vulgata praecipuam meretur attentionem. Unde juxta Tridentinum ejus theoria est exponenda. cf. Calmet, Blanchini et Bossuet, qui hanc materiam pene exhauserunt.

§. 239.

Theoriae de vulgata brevis ejus historia est praemittenda.

a) Latinas inter versiones, quas aevo apostolico confectas fuisse et ratio suspicatur, et S. Hieronymus cum S. Augustino l. II. de doctr. christ. testatur, una reliquis praerogativam eripuit, communis a S. Hieronymo, itala a S. Augustino, vetus a S. Gregorio M. dicta. Complectebatur ea omnes libros, quos hodie in canone nostro habemus, et quoad V. T ex versione LXX, quoad N. T. ex textu originali fuit adornata. Auctor et tempus determinari nequeunt. Magnam tamen ipsa meretur reverentiam ob suam antiquitatem, ob usum primae ecclesiae et ob encomia Ss. Patrum. cf. Rupperth „Apologie der Urkunden des Christenthums. Klagenfurt. II. Th.

b) Quum ea naevos contraheret, S. Hieronymus inprimis eam emendandam suscepit, et quidem Novum Testamentum graecae fidei restituit, Vetus autem ad LXX. acutiori limae subjecit; quae S. Hieronymi emendatio magno applausu suscepta est, solo fere Rufino Aquil. refragante. Adultior

factus cum videret S. Hieronymus, versionem LXX. et latinam ex ea adornatam vitiis laborare, versionem Aquilae nimis servilem, Symachi nimis liberalem esse, novam, quam jam Origenes necessariam duxerat, versionem meditari coepit, tum ut Judaeis os obstrueret, tum ut amicis satisfaceret, et Christianis provideret. Quod opus non solum ex textu hebraico, sed etiam ex versionibus in hexaplis Origenianis feliciter perfecit. Non omnibus tamen placuit nova haec versio; ast post fata auctoris majorem successive auctoritatem obtinuit: et saeculo VI. promiscue cum vetere ad probanda dogmata ab ecclesia adhibebatur teste S. Gregorio M. et saec. VII. in Hispania aliisque ecclesiis teste Isidoro de off. eccl. l. II.

c) Ex vetere itala, et ex opere S. Hieronymi enata est vulgata nostra latina. Novum Testamentum ex vetere itala a S. Hieronymo emendata, Vetus Testamentum quoad maximam partem ex versione S. Hieronymi: psalterium ex vetere itala emendata, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus et duo Machabaeorum libri, quos S. Hieronymus non vertit, ex eadem itala sunt desumti.

d) Cum haec versio varios variis ex causis contraheret naevos, varias etiam subiit emendationes, quas cl. Geddes de vulgarium s. scripturae versionum vitiis eorumque remediis: Bambergae 1787. p. 59. recenset, quas inter ea, quae jussu Sixti V. et Clementis VIII. facta est, potissimum memorari debet.

§. 240.

De hac jam vulgata concilium Tridentinum sess. IV. decr. II. recte hanc dedit

declarationem: „Insuper eadem Ss. synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quae pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot seculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.“

a) Tridentinum 1) vulgatam declarat immunem ab errore in materia fidei et morum, et in aliis rebus privato ausu non relinquendam, prouti ex ipsis theologorum in concilio praesentium testimoniis constat: 2) eandem cum aliis versionibus latinis comparat; 3) non omne mendum ab ea excludit, ut ex catalogis mendorum, quae tamen levioris momenti sunt, et ex ipsis correctoribus Romanis patet.

b) Rectitudo decreti probatur 1) ex auctoritate veteris italae et S. Hieronymi, qui ob notitiam linguarum, ingenii praestantiam, pietatem et antiquitatem commendatur, optimisque usus fuit codicibus:

2) quia adprobatio facta est a legitima potestate et ex causa justa: et

3) ex fundamento sufficiente, quod non est persuasio de afflatu divino auctoris, nec etiam comparatio ad fontes, sed fiducia in Deum, qui ecclesiam in re tam gravi certe in diuturno tot seculorum errore non reliquit.

* Certe vulgatam ex antiquis Lutherus, Beza, Calvinus et Hugo Grotius, ex recentioribus Walton, Dav. Michaelis aliique laudant. cf. diss. Frobenii Forster „de auth. vulg.“

** Multae eo tempore circumferebantur versiones vel ineptae, vel subdolae, uti ipse Beza fatetur: et Lutherus etiam conqueritur: qua quidem ex diversitate versionum confusio et perturbatio, quin imo in ipso statu politico commotiones oriuntur. cf. Schmidt Geschichte der Deutschen. 5. B.

*** Usum fontium Tridentinum eruditis non prohibuit, uti ex tenore decreti et ex testimoniis theologorum, qui ipsi concilio interfuerunt, colligitur. Valet autem usus fontium ad tollenda menda et variantes, ad corrigendam obscuritatem, ad emphasin restituendam, ad sensum magis declarandum et ad refutandos adversarios.

**** De textu graeco et hebraico majorem non habemus certitudinem, quam de rectitudine vulgatae.

Articulus II.

Praxis s. scripturae.

§. 241.

Non sufficit autem solam s. scripturae theoriam tenere; sed oportet ea rite uti ad fines, ad quos singulari Dei beneficio data, et inde ab origine sua semper apta fuit. Discernitur autem triplex usus

a) eruditus in schola;
b) homileticus in ecclesia; et
c) asceticus in vita.

§. 242.

Usus eruditus, de quo hermeneutica ex officio disserit, ad tria redit:

a) ad relationem, quam vetus et novum testamentum ad religionem habet:

* Ex s. scriptura tum existentia tum historia revelationis constat: in V. T. prima religionis elementa, et basis christianismi, in N. T. salutares omnis generis doctrinae extant.

b) ad delectum textuum classicorum, quorum nempe authentia certa, sensus autem perspicuus et ad dogma probandum conveniens est:

c) ad justam eorum interpretationem. cf. Neue theol. prakt. Monathschrift· V. Jahrg.

§. 243.

Usus homileticus et catecheticus, de quo in iis scientiis tractatur, exigit, ut

a) materia ex s. scriptura desumatur, et

b) forma etiam imitando eruatur.

* Non debemus praedicare, nisi Jesum Christum et eum quidem pro salute nostra crucifixum.

** Optime aget, qui ex factis et verbis Christi et Apostolorum didicerit, quomodo docere, et erga Pharisaeos et Sadducaeos novos, ergà incredulos, immorigeros, peccatores, parvulos etc. nos gerere oporteat. cf. Kistemaker Erklärung des N. T. „Das betrachtete Evangelium" Bamberg „und das apostolische Jahr." Augsburg.

§. 244.

Praeter usum eruditum et homileticum requiritur etiam usus asceticus, dum totus homo, — intellectus et voluntas — scripturam ad pietatem, et tranquillitatem fovendam et promovendam adhibet: quem in finem haec fidei norma ac vitae regula a Deo data et a christianis semper adhibita fuit. Qui usus

ut recte fiat, cum sola intentio recta ad finem non ducat, juvat regulas quasdam subnectere:

1) seligatur argumentum grave, clarum, et cum pietate connexum, ejusque sensus animo attento, et veri ac recti amante — praemissis ad Deum precibus indagetur:

2) Inventa in scripturis veritas ad statum animi nostri referatur, affectusque consentanei in corde excitentur:

3) Proposita determinato statui nostro apta concipiantur, et opere ipso impleantur. cf. Sailer Pastoraltheologie I. B. Segneri „Manna animae."

§. 245.

Conformis his legibus usus scripturae insignia affert emolumenta. Unde optandum est, ut christiani instituendae tali lectioni pares efficiantur.

a) Lectio ipsa s. scripturae omnibus et singulis christianis non est praecepta: nam fides ex auditu Rom. X, 15. et veritas audita non minus, quam lecta vim in animum exerit; et religio sine scripturis etiam plantata fuit, et demum magisterium a Christo fuit institutum, ut cognitio salutarium doctrinarum ad omnes propagetur:

b) neque etiam universim fuit prohibita: nam 1) primis temporibus Ss. Patres cultioribus scripturas dabant, ut pectus suum bibliothecam divinam facerent, rudioribus autem eas praelegebant, et explicabant; unde tot Ss. Patrum homiliae habentur. S. Hieronymus ad Paulinum scripsit: neminem in scripturis s. sine praevio et monstrante viam ingredi

posse. 2) Seculo XI. Gregorius VII. et sec. XIII. Innocentius III. et anno 1229. concilium Tolosanum, cum Waldenses scripturae versiones admodum depravatas spargerent, prudenti sane lege usum illarum versionum interdixere.

* Idem ipsum a Protestantibus circa versiones Junkerothii et Berdthii observatum est.

3) Seculo XVI. quum, testibus ipsis Luthero et Beza, versiones corruptae circumferrentur, Tridentinum novas editiones recte censurae episcopali subjecit, et regula quarta indicis confessariis et parochis potestatem concedendae lectionis dedit.

4) Seculo XVIII. Clemens XI. in bulla „Unigenitus“ propositionem Quesnelli „lectio scripturae est pro omnibus“ damnavit: et recentissime Pius VII. societates, quas dicunt biblicas, quae promiscuam s. scripturae lectionem promovent, reprobavit. Et profecto ex promiscua tali lectione spiritus quidam superbiae, disputandi pruritus, inobedientia erga proprios pastores, variique abusus ex male intellectis textibus non raro provenerunt.

* cf. Fenelon „Ansichten über den Katholizismus“ et Marx „Sind die Verordnungen der kath. Kirche in Ansehung des Lesens der heil. Schrift ärgerliche päbstliche Verordnungen? Frankfurt 1819.

c) Optandum ergo videtur, ut pastores per frequentes homilias et alio quovis modo sinistrae ss. literarum interpretationi praecaveant, fidelesque, qui s. scripturam legere cupiunt, instruant et praeparent et dirigant, eos vero, quos ad legendam scripturam haud idoneos noverint, ab ea legenda arceant.

§. 246.

§. 246.

Scriptura sacra singulare quidem Dei donum est, ex eaque fidei notitia et pietatis christianae forma potissimum hauriri et debet et potest; unica tamen fidei norma non est: nam nullum adest indicium, quod ea ceu plenum et luculentum religionis systema data nobis sit; deinde sensus sub verbis latens circa prima etiam capita saepe haud facile detegitur, et a modernis inprimis exegetis diversus saepe statuitur; omnis demum retro historia testatur, lites cum adversariis ex scriptura sola decidi non posse. Tertull. de praescript. c. 17.

Sectio II.

De Traditione, sive de verbo Dei non scripto.

§. 247.

Auctoritatis divinae effata non solum in scriptura contineri, sed traditione etiam conservata et ad nos propagata fuisse cum Tridentino catholici profitemur. Itaque traditionis divinae theoriam et praxin explicare oportet.

* Consuli merentur Alex. Natalis hist. eccl. tom. V. diss. XVI. Lumper hist. theol. crit. Ss. Patrum P. III. p. 318. sqq. Brandmeyer Princ. cath. introd. et Klüpfel Inst. theol. ex ed. Rvdssmi Ziegler P. I.

Articulus I.

Theoria.

§. 248.

Primum, quod in hac theoria tradi debet, notionem concernit, et divisionem traditionis.

a) Traditio vel actum, quo veritas aliqua communicatur, vel ipsam veritatem, quae communicatur, indicat. Hic et nunc traditio accipitur pro veritate, ad religionem pertinente, quae viva primum voce, non scripto communicata est.

b) Haec jam si 1) materia vel argumentum spectetur, vel dogmatica, vel historica, vel ritualis est, prouti vel circa doctrinas, vel circa facta, vel circa ritus et disciplinam versatur:

2) si origo attendatur, vel divina est, quae Deum auctorem habet, vel humana, quae homines habet auctores: humana rursus vel apostolica dicitur, si apostoli, tanquam rectores ecclesiarum, quaedam ad religionem pertinentia constituerunt v. g. de non manducando suffocato et sanguine Act. XV, 20. de non ordinandis neophytis I. Tim. III, 6. vel ecclesiastica, quae ex simili antistitum potestate post aevum apostolicum fluxit; quorsum pleraque in administratione sacramentorum servari solita revocantur.

* Traditiones vulgares, quae ex pia hominum simplicium credulitate, vel omnino ex fraude in plebe circumferuntur, non attendimus. Traditiones pias, quae religionem aliquo modo attingunt, nec tamen ex indubia auctoritate invaluerunt, juxta regulas criticae artis examinare oportet. cf. Honoratus a S

Maria „animadversiones in reg. crit. l. I. diss. III. vel Muratorius“ de ingen. moder.

c) Traditio dogmatica, de qua sola nunc sermo est, vel est stricte dogmatica (constitutiva, materialis) sive veritas fidei vel morum divinitus revelata, quae ab apostolis non scriptura sacra, sed viva tantum voce communicata, et in ecclesia semper conservata fuit: vel hermeneutica (declarativa), si pro determinando genuino scripturae sacrae sensu serviat.

* Consignatio doctrinae ab apostolis traditae in aliis libris non sacris facta traditioni non obstat.

§. 249.

Extitisse traditionem divinam ex omni divinae revelationis oeconomia clare discimus.

a) In aetate patriarchali omnis revelatio divina per solam traditionem sine scriptura sacra a patriarchis ad filios fuit propagata; cui viae aevo primo accommodatae et vitae longitudo, et factorum publicitas, et Dei apparitio favebat.

b) In aetate Mosaica licet Moses legem scriptam populo dedisset, dogmata tamen fundamentalia de immortalitate animae, de statu futuro etc. ex aetate patriarchali per traditionem et transmissa et conservata fuerunt. Occurrunt insuper in V. T. frequentes formulae: „Narrabis filio tuo; interroga patrem tuum; interroga generationem pristinam; narraverunt patres nostri“ etc. His demum accedit traditio pro canone et sensu scripturae.

c) Ipsa denique religio et ecclesia christiana per solam traditionem primitus plantata, et fere propagata fuit. 1) Christus ipse viva tantum voce populum et apostolos instituit, eisque mandatum praedicandi, non scribendi dedit. 2) Apostoli omnes quidem praedicarunt, non autem omnes scripserunt; et pluribus jam annis religionem divulgabant et ecclesias fundabant, antequam evangelia et epistolae scriberentur. 3) Prolatis successive libris, et serius demum collectis, cum pauca tantum exemplaria primum extarent, et lectio eorum vires populi christiani fere superaret, traditio sub nomine regulae fidei perduravit. cf. Sailer Grundlehren der Religion.

* Lutherus, Calvinus, Zwinglius, et qui pressius eorundem vestigia sequebantur, quum scripturam solam fidei normam statuerent, traditionem dogmaticam ceu injuriam scripturae et ceu fontem superstitionum rejiciebant; mitiores vero Protestantes traditionem primis christianismi temporibus magno in usu fuisse fatentur, negant autem ejusdem integritatem hodie probari posse. Unde opus est, ut ostendatur 1) post clausum etiam scripturae canonem extitisse adhuc traditiones dogmaticas, seu scripturam non esse solam fidei normam, et 2) easdem integre ad nos propagari potuisse, et actu esse propagatas.

** Ecclesia anglicana episcopalis idem, quod de traditione catholici tuentur, dogma amplectitur.

§. 250.

Post clausum etiam canonem exstitit adhuc traditio divina dogmatica. Quod ut rite ostendatur, praenotasse juvat, quod solus Christus sit conditor articulorum fidei: „fides enim, ut ait apostolus Rom. X, 17. ex auditu, auditus autem per ver-

bum Dei.“ Docuit jam Christus apostolos tum per se ante et post mortem. Act. I. 3. tum per Spiritum S. Joann. XVI, 12. omnem veritatem, et insuper omnia praedicari ab iis voluit. Mtth. XXVIII, 20. Novae ergo publicae revelationes amplius ecclesiae superaedificatae super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu Eph. II, 20. non fiunt; sed verum est catholicorum axioma: Nihil hodie pro veritate christiana recipiendum esse, quod non a Christo per apostolos descendat.

Jam vero doctrinae istae non in sola scriptura, sed etiam in traditione extant, uti elucet

a) ex origine Novi Testamenti: Apostoli enim, etsi testimonia de doctrina et historia Christi in scripturis Novi Testamenti reddant, easque ecclesiae tradant, et ceu normam fidei et morum commendent, nullibi tamen produnt consilium aliquod, omnia, quae a Christo acceperunt et de quibus coram aliis testati sunt, literis consignandi; neque opus erat, ut omnia antea jam viva voce tradita scriptis etiam repeterent. Praeterea libri Novi Testamenti opportuna quasi occasione nati sunt, ut apostoli praecipuas doctrinas aut repeterent, aut exponerent, aut quaestionibus propositis responderent etc. Ex hac ergo origine colligitur, per scripturas istas alteram, eamque antiquiorem fidei regulam — traditionem — nullatenus e sua pulsam fuisse possessione.

b) ex ejus indole: libri enim isti tam disertis verbis nec scripti sunt, nec scribi potuerunt, ut satis clare quovis tempore quisque facile intelligat, quis sit verborum sensus, sive quas ideas Jesus

et apostoli cum his verbis conjunxerint: sic testimonia de veritatibus theoreticis, rationem humanam superantibus, et de rebus ad religionem externam spectantibus variis interpretationibus sunt exposita, et sensuum diversorum capacia.

• Frustra ad eruendum sensum ad regulas hermeneuticas, nondum satis stabiles, nec cuivis obvias, recurritur; frustra ratio in auxilium vocatur, quae hac in causa judex esse nequit. cf. Friedensworte etc. von Max. Prechtl p. 201. f. 2te Auflage 1820. Sailer Grundlehren. p. 383.

c) ex ipsis denique ejus verbis: S. Joannes XX, 30, 31. ultro fatetur: „Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quae non sunt scripta in libro hoc“ etc. et XXI, 25. „Sunt et alia multa, quae fecit Jesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.“ S. Lucas Act. I, 3. narrat, Jesum Christum post resurrectionem in multis argumentis per 40 dies se praebuisse apostolis, et locutum esse cum iis de regno Dei: quae autem Christus locutus sit, non recenset. S. Paulus II. Thess. II, 15. scribit: „Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram“ — et II. Tim. I, 13, 14. „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti . . . Bonum depositum custodi etc.“ et II, 2. monet: „Quae audisti a me per multos testes (en institutionem oralem publicam!) haec commenda fidelibus hominibus (en transmissionem!) qui idonei erunt et alios docere.“

Ergo ipsa scriptura docet, communem cum scriptura fuisse traditionem, eamque commendat: nul-

lus autem textus afferri potest, qui traditionem evertat.

* Norunt eruditi, ante seculi II. finem canonem N. T. conditum non fuisse. An forte toto seculo amplius Christi ecclesia sine integra fidei regula, si haec scriptura esse debeat, fluctuavit?

§. 251.

Ecclesia christiana inde ab origine sua semper traditionem divinam dogmaticam agnovit, uti patet

a) ex sensu ejus practico: in omnibus enim conciliis ad dogmata fidei ostendenda, declaranda et vindicanda praeter scripturam traditiones adhibebantur. De concilio Nicaeno id testatur S. Athanasius, de Ephesino Vincentius Lirin: etc. Origenes paedobaptismum ex traditione probat; S. Hieronymus exemplo erroris S. Cypriani ostendit, a traditione recedendum non esse; S. Augustinus ex eadem refutat Donatistas et Pelagianos.

b) et ex theoretico, quem testimonia Ss. Patrum constituunt.

1) Primis tribus saeculis, cum haeretici scripturas aut rejicerent, aut mutilarent, aut varie exponerent, lites potissimum ex doctrina ab aevo apostolico propagata et conservata, decisas fuisse, documenta antiqua, et testimonia inprimis S. Irenaei, Tertulliani et S. Clementis Alex. manifeste docent fatentibus ipsis Protestantibus mitioribus.

2) Huic primorum temporum mori inhaeserunt posteri. S. Epiphanius haer. 55. fidei fundamenta recenset: Traditiones Apostolorum, doctrinae successiones, et scripturas sa-

cras. S. Vincentibus Lirin. in common. ait: hanc fuisse semper et esse hodieque catholicorum consuetudinem, ut veram fidem duobus his mediis adprobent, primum divini canonis auctoritate, deinde ecclesiae catholicae traditione. Ita etiam S. Basilius de Sp. S. c. 19. S. Chrysostomus hom. IV. in II. Thess. ac alii uno ore docent. cf: Klüpfel Instit. theol. ed. a Revdssmo Ziegler. P. I. p. 107. sqq.

* Constans ille atque unanimis ecclesiae sensus invictum plane argumentum conficit de traditionis existentia, quae rationi etiam quam maxime exoptabilis est, 1) ut de canone sacro non humana tantum fide, quam de libris Ciceronis etc. habemus, sed divina, qualis ad religionem requiritur, constare queat: 2) ut dogmatum, etiam fundamentalium, in scripturis contentorum sensus genuinus ex divino criterio determinetur: 3) ut dogmata in scripturis non plene expressa confirmentur et illustrentur; et 4) ut dogmata quaedam, quae etsi fundamentalia non sint, ad substantiam tamen catholici systematis pertinent, ex fonte divino innotescant. Ita vel ex sola traditione, vel saltem potissimum ex traditione constat doctrina de sacramentis confirmationis, ordinis, matrimonii, unctionis infirmorum; de essentialibus sacramentorum; de paedobaptismo; de valore baptismi haereticorum; de sacrificio Missae, de cultu Sanctorum; de non iterandis sacramentis baptismi, confirmationis et ordinis; de confessione auriculari; de purgatorio etc.

§. 252.

Traditiones divinae dogmaticae aequalem habent cum s. scriptura auctoritatem.

a) Verbum enim Dei, si de eo vel ex scriptura, vel ex traditione constet, parem meretur reve-

rentiam; atque apostoli vera aeque dixerunt, ac scripserunt.

* Deo gratias ago, ait Hugo Grotius contra Rivetum, quod ea, quae singulis christianis sunt necessaria, apostolici viri non docuere tantum, sed et perscripsere; sed si eo tempore vixissem, tam dicentibus illis credidissem, quam scribentibus; et sicut de iis, quae scripserunt, sequor plurium et antiquissimorum codicum fidem, ita in iis, quae dixere, plurium et antiquissimorum testium. Papias, si exigui judicii fuit, et propterea falli facilis, fuere alii eodem tempore judicii melioris. — Sunt traditiones suppositiae; sunt et supposititia in codicibus multis. Ad vera a falsis tanto post tempore discernenda multo judicio, multo labore opus est; et non omnia ejusdem sunt ponderis. At, sicut in rebus magni ponderis Deus non sivit corrumpi omnes codices, ita nec traditionem.

b) Tridentinum concilium, quod catholicorum quisque veneratur, sess. IV. decr. I. statuit: „Perspiciens s. synodus, omnem salutarem veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta — scripturam et traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur.“

* De fide tamen non esse, quod dentur traditiones pure dogmaticae — mere orales, plures putant. Sufficit, quod ex sola traditione innotescat, quinam libri sint canonici.

c) Plurimi etiam Acatholicorum traditioni talem tribuunt auctoritatem.

* Ipse Lutherus, suae quasi doctrinae oblitus, in ep. ad March. Brandeb. scribit: „Periculosum et horrendum est, quidquam audire vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei et doctrinae sanctae et catholicae ecclesiae, quam illa inde ab initio per annos plus mille quingentos servavit.“ Melanchton in ep. ad Cratonem. Hugo Grotius scribit: „Quae Protestantes tuentur, ea non sunt omnia ad verbum in ss. litteris. Dicunt, admittendas non esse consequentias: at ipsi consequentias admittunt ex privato cujusque ingenio; unde tot et tam gravia inter ipsos dissidia et quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus ecclesia antiquo et universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in scriptura et in traditione, quae mutuo facem sibi adlucent.“ Molanus inquit: „Protestantes moderatiores admittunt, non solum ipsam scripturam sacram nos traditioni debere, sed et in articulis fundamentalibus genuinum et orthodoxum scripturae sensum, ut multa alia, a Calixto, Hornio, Chemnitio dudum memorata, ex traditione duntaxat cognoscibilia taceam.“ Leibnitius syst. theol. exordiens scribit. „Cum diu multumque invocato divino auxilio, depositisque, quantum forte homini possibile est, partium studiis perinde ac si ex novo orbe Neophytus nulli adhuc addictus venirem, controversias de religione versaverim, haec tandem mecum ipse statui, atque expensis omnibus sequenda putavi, quae et scriptura sacra, et pia antiquitas, et ipsa recta ratio et rerum gestarum fides, homini affectuum vacuo commendare videntur.“ Mainz 1820.

** Quum recentiores, qui mitius de traditione sentiunt, puram et integram divinarum traditionum conserva-

tionem inficientur, jam ulterius ea de re agendum est.

Articulus II.

Praxis.

§. 253.

Dantur inprimis characteres sive notae, quibus traditiones divinae genuinae agnosci et spuriae discerni et rejici possint.

a) Character spuriae traditionis est, si ea fabulam aut superstitionem sapiat, vel si scripturae aut receptae ecclesiae doctrinae dissentiat.

b) Ad agnoscendam genuinam traditionem attendere debemus

1) ad tempus, utrum traditio cum ecclesia inceperit, et cum ea perduraverit. Religio enim revelata primae jam ecclesiae data est, et in ea nunquam deficit. Interim, cum traditio apostolica etiam ecclesiae coaeva sit, respici debet

2) ad argumentum; quod quidem, si veritas ad revelationem pertinens, vel institutum humana potestate majus fuerit, et in scripturis non contineatur, ecclesia ex traditione habet. Revelationis enim et institutionis divinae fontes non sunt, nisi scriptura et traditio. Praecipue autem 3) sensus ecclesiae attendi debet, uti post Tertullianum et S. Augustinum egregie statuit Vincentius Lirin: „Id teneamus, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.“ Fidei ergo universalitas, antiquitas, et consensio, si circa veritatem revelatam versentur, quae

non ex scriptura petatur, indubitatus traditionis divinae character sunt. Si variant ecclesiae primae, ratio potissimum coetuum apostolicorum et antiquiorum habenda est; si ecclesia solemne etiam subsequo tempore judicium de traditione edit, illud etiam omnem a catholico venerationem exigit.

* Regula Vincentii, non ita stricte est accipienda, ut ex singulis ecclesiis expressa testimonia adduci debeant: multa enim antiquitatis documenta interierunt; sed sufficit, si plurium ecclesiarum, vel doctorum testimonia expressa extent, reliquarum autem ecclesiarum dissensus probari non possit. Pariter requiri non potest, ut omnes ecclesiae uno eodemque tempore circa singulas doctrinas expressum ediderint testimonium, quia apostoli pro diversis rerum adjunctis vel brevius vel diutius in ecclesiis commorantes vel minus, vel magis completam fecerunt fidelium institutionem.

** Acatholici ex iisdem criteriis existentiam revelationis divinae, et authentiam, integritatem atque auctoritatem N. T. ostendunt.

§. 254.

Instructas hisce characteribus traditiones divinas ad nostram aetatem integras pervenisse, eo minus dubitare licet, quod certe divina providentia juxta promissionem Christi pro iisdem vigilaverit, quae iis solis revelationem in tota periodo patriarchali conservavit.

a) Profecto corruptionem aliquam vel simultaneam vel successivam vel ex ignorantia, vel ex malitia vel ex negligentia fieri non potuisse facile intelligimus, si ex una parte amplitudinem ecclesiae, quae primo

jam saeculo toto orbe diffusa traditionem accepit, et ex altera tum reverentiam christianorum erga revelationem, quam ceu normam vitae et fundamentum laetae spei venerabantur et summo cum fervore servabant, tum vigilantiam episcoporum consideremus, qui continua successione ab apostolis descendentes ad munus custodiendae traditionis rite implendum non solum professione fidei, quam episcopatum auspicaturi edebant, sed etiam metu depositionis et excommunicationis stringebantur, proprioque pietatis sensu adigebantur.

b) Insuper duo praesertim media praesto sunt, quibus divina traditio ad nostram pervenit aetatem:

1) scripta nempe Ss. Patrum, acta conciliorum, catechismi et symbola, in quibus traditionis testimonia extant.

* Etsi multa primorum temporum scripta interierint, multa tamen divina providentia inde a saeculo tertio et quarto nobis servavit, in quibus priorum etiam saeculorum doctrina, ad quam semper et ubique provocatum fuit, ad nos pervenit: et ex quibus tempore illo adhuc extantibus, Patres saeculi quarti sua hauserunt testimonia. Teste Eusebio hist. eccl. V, 20. et III, 3. S. Joannes, ad multam senectutem superstes, multa Polycarpo tradidit, quae ille ad Irenaeum transmisit: et Clemens Alex. magistris usus, qui viderant apostolos, magnam traditionis partem scriptis consignavit, uti ipse l. I. strom. testatur: „Qui veram beatae doctrinae servabant traditionem a Petro, Jacobo, Joanne, Paulo sanctis apostolis . . . ad nos usque volente Deo pervenerunt illa a majoribus data, et apostolica deposituri semina.“ Pariter S. Ignatius eodem Eusebio teste III, 36. christianos hortatus est, ut „apostolo-

rum traditionibus tenaciter inhaererent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam, testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit."

2) Praxis, observantia, et instituta, quibus veritates practicae, uti scriptis theoreticae propagabantur. Unde liturgiae, sacramentaria, festa etc. traditionis monumenta continent.

* Nec exemplum falsarum decretalium, quae sero demum innotuerunt, et in obscuro quasi serpebant, objici potest; nec etiam Protestantes traditioni timere debent vel a fatis librorum et rerum, vel a simplicitate, ignorantia et malitia hominum; omnes enim hasce difficultates adversarii de scriptura sacra solvere debent.

§. 255.

Duplex jam suppetit via, traditiones divinas eruendi:

a) una discussionis in veritatibus theoreticis, si scripta consulantur, ubi 1) ad consensum vel totius ecclesiae, vel ecclesiarum apostolicarum, et maxime romanae; deinde 2) ad testimonia Patrum antenicaenorum, ad quos inde a saeculo quarto appellatum semper fuit, et etiam sequentium, dum hi ad traditionem antiquam provocant; et demum 3) ad utriusque ecclesiae consensum et solemnia effata attendendum est.

b) altera praescriptionis in veritatibus practicis, dum traditio ex usu et observantia indagatur. Quo tamen in negotio characteres §. 253. statutos adhibere oportet.

* Hactenus dicta ex paritate de traditionibus profanis illustrari possunt. Protestantes frustra conquerunt-tur, paucos tantum genuinos libros superesse, et indagationem nimiis subjacere difficultatibus: divina enim providentia tam benigne nobis providit, ut integrum fidei depositum inveniri possit; genuina etiam documenta ope criticae satis agnosci et dignosci queant, et ut verae traditiones inprimis ab ecclesia, quam Christus ad custodiendam et explicandam traditionem aeque ac scripturam constituit, sine erroris periculo nobis proponantur.

** In usu traditionis duae praeprimis cautelae sunt servandae, 1) ut non unum alterumve S. Patris alicujus textum, et eum mutilum allegemus; sed potius ut circa primaria praesertim dogmata totum traditionis filum ante oculos ponamus: 2) ut non promiscue a particulari ad universalem, neque a seriori mox ad priorem ecclesiae sensum concludamus. cf. Sailer l. c. p. 391. et Sulzer „Wahrheit in Liebe." praesertim Stolberg Geschichte der Religion 8. Th. „Abhandlung über die Lieferung" quae quidem dissertatio denuo impressa legitur in opusculo: „Kann die Vereinigung der Protestanten mit den Katholiken noch einem Anstande unterliegen?" Landshut bey Weber 1819.

Caput II.

Auctoritas ecclesiae.

§. 256.

Scripturae et traditioni Christus sapientissimo consilio infallibile ecclesiae magisterium adjunxit.

a) Scriptura enim et traditio aptum et sufficiens medium non sunt, ut ex illis solis christiani omnes debitam religionis notitiam sibi comparent. Indoctis nempe nec facultas, nec tempus suppetit, ut ipsimet ex scriptura per hermeneuticam, et ex traditione per discussionem summa religionis capita eruant: docti autem, quum teste historia non raro sint discordes, nec sibi ipsis tuto fidere, nec reliquis fidelibus suam prae aliis auctoritatem probare possunt.

Hos autem defectus supplet viva magisterii vox, quam omnes ob promissam assistentiam divinam secure sequi et possunt et debent, uti P. III. jam est ostensum.

b) Unde jam theoria, et praxis circa characteristicum hoc catholicorum dogma accurate exponi debent.

Sectio I.

Theoria.

§. 257.

In theoria ista primo objectum, dein subjectum, demum conditiones infallibilis ecclesiae auctoritatis determinare oportet.

* Plures alias quaestiones, quas aetas nostra hanc circa materiam movit, jure licet negligere, utpote curiositati magis quam utilitati servientes.

** In omni hoc argumento multa commoda praestat distinctio illa infallibilitatis, quam Stattler attulit, in infallibilitatem activam, quae est determinatio rectorum ecclesiae, officio suo fungentium, ad docendam Christi religionem, oriunda ex certa Spiritus S. directione, a Christo promissa; et in passivam, quae est determinatio fidelium christianorum ad agnoscendos rectores, et acceptanda eorum effata, oriunda ex dispositione providentiae divinae juxta promissionem Christi. 1) Veritas hujus distinctionis potissimum ex verbis Christi Mt. XVI, 16. sq. colligitur, ubi Christus tantum et fundamenti, quod ad activam, et aedificii fundamento superstructi, quod ad passivam infallibilitatem pertinet, firmitatem promittit, ut nec fundamentum ab aedificio, nec aedificium a fundamento separari queat. 2) Foecunditas ejusdem ex tota theoria ista patebit.

Articulus I.

De objecto infallibilitatis.

§. 258.

Infallibilis ecclesiae auctoritas se extendit ad integrum salutis ordinem, a Christo institutum, sive ad ea omnia et sola, quae ad reve-

latae doctrinae depositum pertinent, aut ad ejus conservationem necessaria sunt. Hunc enim in finem Christus ecclesiam instituit divinamque eidem assistentiam promisit, ut omnis ipsius religio semper et ubique tuto agnoscatur et integra conservetur. Ergo ecclesia omnia, quae ad depositum illud pertinent, et ad ejus conservationem necessaria sunt, infallibili sententia declarare, nullumque errorem eidem contrarium aut difformem assumere vel docere potest.

* Id valet et de doctrinis fidei, et de praeceptis morum. Christianus enim tam ea, quae Christus docuit, credere, quam ea, quae Christus praecepit, servare debet.

§. 259.

Posito hoc principio ecclesia in specie non tantum veritates formaliter, sed etiam virtualiter revelatas auctoritate infallibili declarare potest.

a) In declarandis veritatibus formaliter revelatis, quae nempe secundum proprios conceptus ex locutione vel institutione divina nobis innotescunt, infallibilem esse ecclesiam, sequitur ex ipso tenore verborum, quibus Christus Mtth. XVI. et XXVIII. et Joann. XIV, 16, 20. divinam promisit ecclesiae suae assistentiam ad propagandas et conservandas doctrinas suas.

* Ecclesia ergo 1) veritates theoreticas et morales, in scriptura et traditione expressas et instituta media sacramentorum infallibili auctoritate definit; item 2) errare non potest in agnoscenda et interpretanda scriptura et traditione.

** Quaeres fortasse: Ad quid hisce in veritatibus infallibilis adhuc ecclesiae auctoritas servit? R. ad hoc, ut genuinus verborum, quibus veritates revelatae enunciantur, sensus certo determinetur, et adversus multiplices aliorum expositiones vindicetur, et ut errores ac haereses aut praepediantur aut refutentur.

b) Ad declarationem veritatum virtualiter revelatarum, quae quidem secundùm proprios conceptus in scriptura vel traditione non enuntiantur, sed tamen cum veritate aliqua formaliter revelata ita cohaerent, ut haec sine illis vera esse non possit, recte etiam divina promissio extenditur; eoquod secus tota ecclesiae auctoritas vacillaret, quae utriusque generis veritates proponit; et ipsa adeo veritatum formaliter revelatarum fides periclitaretur apud eos praeprimis, qui nexum illum veritatum perspiciunt.

§. 260.

Ex eodem principio sequitur, quod ecclesia symbolum fidei conficere eique jam confecto alios articulos addere possit.

a) Cum una ex parte apud omnes christianos sit necessitas fidei interius tenendae, et exterius eandem profitendi, et ex altera parte omnes eruendis proprio studio articulis pares non sint, bonum fidelium exigit, ut symbolum, sive complexus praecipuarum religionis christianae veritatum a legitima potestate fidelibus proponatur; atqui talis potestas est potestas ecclesiae, quae uti singulos fidei christianae articulos declarare et conservare, ita etiam eorum complexum dare potest, ne fideles ab heterodoxis, qui symbola edere amant, in errorem inducantur.

b) Priore autem exercitio potestas ecclesiae sublata non est; ergo si gravis urgeat causa erroris novi ab haereticis divulgati, potest sane ecclesia alium articulum, quem prius implicite credidit, explicite jam credendum proponere; qua additione non ipsa fides, sed symbolum tantum augetur, prouti id ex historia symbolorum apostolici, Nicaeno — constantinopolitani et professionis fidei a Pio IV. praescriptae explicari potest.

* Ecclesia tali modo nec novum condit dogma nec aliquod dogma mutat; sed veritatem in controversiam adductam pro officio suo declarat et definit ex scriptura et traditione divina. Egregie jam sec. V. Vincentius Lirin. monuit: „Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce: ut cum dicis nove, non dicas nova.“ Ad quae verba commentans cl. Klüpfel scribit: „Quodsi necessitatem sibi impositam sentit ecclesia catholica, ut erumpentibus novis haeresibus resisteret: per alia duntaxat verba explicat mentem, et voces scripturarum divinarum: quibus nihil aliud, quam vetus doctrina proponitur, vel per legitima consectaria ex iisdem sacris litteris, vel per accuratam investigationem e traditione patrum. Quo quidem fit, ut compescatur ingeniorum licentia, eruditur indocta plebs, et fidei unitas conservetur.“

§. 261.

Pariter ecclesia errare non potest in statuenda disciplina generali; sive ea quae ecclesia ad cultum externum, aut ad pietatis aliarumque virtutum exercitationem statuit, fidei morumque principiis contraria esse non possunt.

Etsi enim decreta disciplinaria non sint revelata, et in verbo Dei non contineantur, ex promissis tamen Christi et ex factis Apostolorum fluit, quod ecclesia nihil possit contra fidem et mores statuere; atque necessario fides ipsa labefactaretur, si ecclesia universa disciplinam instituere, aut ubique vigentem adprobare posset, quae fidei vel morum principiis esset contraria.

* Non est hic sermo de disciplina ecclesiae alicujus particularis, quae ne in fide quidem infallibilis est.

** In ipsa etiam disciplina generali pro temporum hominumque indigentiis mutatio contingere potest.

§. 262.

Juste etiam infallibilis dicitur in definienda librorum orthodŏxia vel heterodoxia; error enim hac in re et auctoritatem ecclesiae in deposito fidei custodiendo, et fidem christianorum periculo exponeret, praesertim quum haeretici passim ambiguis verbis suos tegant errores. Unde ecclesia non errores tantum, sed et libros haereticorum damnavit et damnat.

* Sensum personalem ecclesia non dijudicat, sed literalem. De auctoritate ecclesiae circa facta dogmatica consule cl. Liebermann Instit. theol. tom. II. p. 580. sqq.

** A tempore potissimum concilii Constantiensis in scholis theologicis variae propositionum censurae invaluerunt, quarum praecipuas nosse juvabit. Propositio haeretica dicitur, quae dogmati alicui opponitur; haeresin sapiens, haeresi proxima, vel de haeresi suspecta, prout vel magis vel minus patet, eam pugnare cum dogmate; erronea, errorem sapiens etc. quae conclusioni theologi-

cae, recto ratiocinio illatae adversatur; falsa, quae factum asserit, quod factum non est; scandalosa, male sonans, piarum aurium offensiva, quae est contraria communi Ss. Patrum doctrinae etc. temeraria, quae gravissimorum theologorum sententiae refragatur; schismatica, aut schismati favens, quae ordini hierarchico infesta est vel magis vel minus.

*** De ipsa damnatione in globo, ut ajunt, egregie monet Greg. Zallwein Princip. juris eccl. tom. I. qu. 4. c. 2. §. 6. „Finis hujus damnationis certe alius non est, quam fidelibus venenatos fontes occludere, ne incauti venenum imbibant. Hoc ut obtineat ecclesia, varie censuris perstringit doctrinas venenatas. Id quod fidelibus sufficere deberet, ne e talibus fontibus aquas intoxicatas hauriant. Certe quivis homo prudens parum curat, seu potus aliquis hac vel illa veneni specie sit infectus, si modo sciat esse potum venenatum. Jam vero duo sunt notabiles effectus hujus damnationis. . . . Primus est, quod nulla sit nota, quae non alicui propositioni conveniat; alter, quod nulla sit propositio, quae non mereatur aliquam notam. Id solum manet occultum, quaenam nota singulis conveniat, id quod scire neutiquam est necesse: quod autem ecclesia hoc potius, quam altero qualificandi modo utatur, neutiquam ipsius ignorantiae est adscribendum, utpote quae ideo hoc facit, tum quod modus iste facilior, expeditior, et non raro utilior eidem videatur, ne refractariis nova praebeatur occasio, ipsas etiam ecclesiae censuras iterum censurandi, sugillandi, tum quod ecclesia soleat esse valde cauta, et circumspecta in similibus censuris, ita quidem, ut licet assistentiam Spiritus S. promissam sibi adfuturam in necessariis non dubitet, temerarie tamen de illa confidere nolit, nisi apertissima necessitas et utilitas id exigat.

§. 263.

In illis autem rebus, quas nec revelatio sive in scripturis sive in traditione continet, nec custodia depositi fidei exigit, infallibilis non est ecclesia; sed siquid memorat ecclesia de talibus rebus, tanta ei competit auctoritas, quantam vel testimonia in rebus historicis, vel argumenta in philosophicis exposcunt.

* Exinde decidi possunt quaestiones, an ecclesia infallibilis sit 1) in canonizatione Sanctorum? R. Cum facta canonizationis ab informatione et testimoniis hominum circa facta particularia pendeant, infallibilitas stricte probari non potest. Quum vero ad ecclesiam pertineat in Sanctorum catalogum referre homines sanctitate conspicuos, et post mortem miraculis claros; quumque ecclesia accurato adeo et diligenti studio negotium istud pertractet, pie credendum est, nullum ea in re errori locum fuisse, aut postea futurum. Murat. de ing. moder. l. 1. c. 17. 2) in adprobatione ordinum religiosorum? R. in illa statutorum specie, quae non ad ipsa morum praecepta spectant, sed a prudentia pendent, infallibilitas asseri non potest. 3) in historiis, Breviario insertis? R. Cum de factis ex mere humano testimonio petitis non nunquam agatur, nec omnimoda in hisce historiis conscribendis crisis semper fuerit servata, infallibilitas statui non potest.

** Quodsi ecclesia, prouti auctor criticae historiae id poscit, omnes theologorum speculationes de modo dogmatum, omnesque quaestiones et lites scholasticas examinare et dirimere, omnesque qui in plebe christianorum hinc inde extant, abusus omniaque praejudicia indagare, et irrevocabili judicio eliminare vellet, immensi, nec tamen necessarii, parumque frugiferi laboris opus susciperet.

Articulus II.

De subjecto infallibilitatis.

§. 264.

Omnis ista potestas per episcopos cum pontifice Romano conjunctos rite sese exerit.

a) Verba quippe promissionis Mtth. XXVIII. et Joann. XIV — XVI. ad episcopos, apostolorum successores, et ad pontificem Romanum, successorem S. Petri, quem Christus fundamentum ecclesiae, regni sui clavigerum et pastorem gregis sui Mtth. XVI. et Joann. XXI. constituit, proprie spectant. Deinde

b) ex promissione Christi universa ecclesia discens in fide vera non potest deficere. Unde autem pendet fides ecclesiae discentis, nisi ab institutione et doctrina ecclesiae docentis, seu episcoporum cum pontifice conjunctorum?

c) Idipsum denique ex continua apostolorum et ecclesiae praxi manifestum est.

* Quum igitur ad infallibilem de rebus religionis sententiam et episcopi et primas ecclesiae concurrant, nec tamen in dato quovis casu de consensu isto jam mox expresse constet, videndum jam est, quanta sit episcoporum singulorum, et quanta sit pontificis seorsim spectati auctoritas; et quomodo consensus isto sese manifestet.

§. 265.

Episcopis singulis cura fidei incumbit, jusque decidendi controversias fidei,

se solo tamen non ultimatum et irreformabile.

a) Hanc curam Christus ipse episcopis, ceu successoribus apostolorum, imposuit dicens: „Euntes docete omnes gentes:“ eamque episcopi exercere debent

1) immediate in sua quivis dioecesi, Apoc. II. in qua posuit eos Spiritus Sanctus regere ecclesiam Dei Act. XX, 28. in qua mandat ipsis S. Petrus I. ep. V, 2.“ Pascite, qui in vobis est, gregem:“ cum S. Paulo I. Tim. IV, 16. VI, 20. in qua demum ipsi episcopi eandem ceu praecipuam muneris sui partem nunquam non agnoverunt et exercuerunt:

2) mediate aliis etiam in ecclesiis, siquidem necessitas vel evidens utilitas id exigat: depositum enim fidei, cui custodiendae invigilare debent episcopi, in omnibus ecclesiis unum atque idem est. Hic etiam constans in universa ecclesia fuit sensus: hic idem in proscribendis haeresibus mos servabatur.

* S. Cyprianus de unit. eccl. scribit: „Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.“ Ipse etiam Papa Coelestinus I. in ep. ad conc. Eph. scribit: „Haereditario in hanc solicitudinem jure constringimur, quicumque per diversa terrarum loca Apostolorum vice nomen Domini praedicamus; dum illis dicitur, ite, docete omnes gentes, advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, et omnes nos id agere voluit, quibus in commune mandavit officium etc.

b) Curam istam ut jam episcopi felici cum successu queant exercere, jure gaudent decidendi controversias fidei, seu edendi sententiam, quam fideles obortis circa religionem controversiis sequi tene-

antur. Unde episcopi nullo non tempore tale jus ad exemplum apostolorum exercuerunt.

* Multo plures haereses, inquit S. Augustinus, ubi extiterunt, illic reprobari damnarique meruerunt.

c) Ultimatum tamen non est hocce episcoporum jus, nisi in unione cum Papa exerceatur. Infallibilitas enim non singulis episcopis seorsim, sed omnibus cum primate suo conjunctis est promissa. Unde semper in tali casu relatio ad Papam facta est, et fieri debuit, ceu ad centrum unitatis; uti non tantum Ss. Patres, sed ipsa etiam concilia generalia aperte et fatentur, et testantur. cf. Nellessen: Was ist Katholizismus? Aachen 1822. S. 33 ff.

§. 266.

Pontifex Romanus a) primas ac praecipuas in decidendis fidei controversiis partes habet; quia ipse qua primas ecclesiae integritati fidei, quae inter controversias maximum patitur dispendium, in universa ecclesia proprio ex officio invigilare debet. Unde ab exordio ecclesiae, ubi majoris momenti controversia agebatur, undequaque relatio ad Papam fuit facta.

* Patet id ex ipsis conciliorum actis. S. Avitus, episcopus Viennensis † 525. scribit: „Scitis (fratres) synodalium legum esse, ut in rebus, quae ad ecclesiae statum pertinent, siquid dubitationis fuerit exortum, ad Romanae ecclesiae maximum sacerdotem quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus.“ cf. Thomassin diss. IV. et XVIII. in conc. et „Was glaubte von jeher die katholische Kirche . . . vom Bischofe zu Rom?“ Augsb. 1812.

b) Decreta ergo ejus ad totam ecclesiam ex officio directa in rebus religionis et ecclesiae christianae vere provisoria sunt; quibus fideles ex animo acquiescere tenentur. Ad hoc certe positus est primas, successor Petri, ut confirmet fratres: ita etiam universa ecclesia talia decreta, tanquam ex fide et aequitate Petri prolata, et ex communi traditione deprompta suscepit. cf. Brandmayer §. 244.

* Definitioni summae sedis suas actiones fideles conformare debent; donec res plenario et ultimato ecclesiae judicio penitus fuerit decisa; nec cuiquam interim aliter dogmatizare, turbasque adversus sententiam summae sedis excitare licet; secus unitati et fidei integritati non esset consultum. Valet ergo regula: standum esse ex illa episcoporum, sive multorum sive paucorum parte, ex qua stat romanus pontifex, cui vi promissionis divinae nunquam deerunt, qui ipsum sequantur. Et profecto — teste historia ecclesiastica — decreta Romanorum Pontificum dogmatica, libere edita, et ad universam ecclesiam directa, semper ab omni haeretica labe fuerunt immunia. Vide celebrem Bossueti sermonem „de unitate."

c) Quodsi decretis ejusmodi pontificiis consensus accesserit reliquorum episcoporum, dubium nullum superesse potest, quin ea sint infallibilia. Tunc enim vere ecclesia docens, suo inhaerens fundamento, suoque adunata pastori, docet, cui ecclesia discens ex mandato Christi adhaerere debet.

* Hunc consensum ipse S. Leo non excludit, dum ep. 93. ad Theodoretum de sua circa haeresin Eutychetis et Nestorii definitione, ante concilium edita, et in concilio ab episcopis examinata scribit: „Ipsa

quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum, quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmaret. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.“ Unde etiam S. Augustinus S. Cyprianum et praesules Africanos, qui definitioni S. Stephani se opposuere, hoc ex capite excusat, quia „non jam illo tempore veritas eliquata per plenarium concilium solidabatur.“

** Hactenus dictis omnis retro historia suffragatur. 1) Magisterium episcoporum et pontificis ita se exerebat, ut episcopi traditam ab apostolis sive scripto, sive ore doctrinam populis proponerent, et in eadem cum pontifice communicarent. Hunc in finem mature symbola sunt confecta, et ratio cultus externi conformata est; scholae institutae, catecheses et homiliae habitae, et literae communionis adhibitae fuerunt. 2) Ubi orta fuerat controversia, haereses, ubi extiterunt, illic reprobari damnarique meruerunt, facta desuper ad sedem Romanam relatione: — si auctoritas episcopi non suffecit, synodi particulares celebratae; interdum generalia etiam concilia habita sunt; utrobique tamen auctoritas sedis Romanae praecipue intercessit.

§. 267.

Solemnis modus, quo infallibilis ecclesiae auctoritas se exerit, is est, qui fit per decreta conciliorum generalium.

a) Concilium est conventus personarum ecclesiasticarum ad negotia ecclesiae communibus consiliis pertractanda: et est 1) vel particulare (dioecesanum, provinciale, nationale), vel 2) generale, quod

ex episcopis totius orbis Christiani colligitur, et decreta sua de rebus fidei et morum edit in unione cum Romano pontifice.

* Quae circa convocationem, celebrationem, et confirmationem conciliorum generalium requiruntur, in jure ecclesiastico ex instituto pertractantur.

b) Concilia generalia in rebus fidei et morum sunt infallibilia: nam 1) universam ecclesiam, cui Christus divinam promisit assistentiam, vere repraesentant:

* Tertullianus suo jam tempore „concilia ex universis ecclesiis, per quae altiora quaeque in commune tractantur, ipsam repraesentationem totius nominis christiani“ vocat: l. I. de bapt. c. 18. S. Augustinus „plenarii concilii sententiam totius ecclesiae consensionem esse“ dicit; nam, uti S. Cyprianus jam observavit, „episcopus in ecclesia, et ecclesia in episcopo est.“ Ideo etiam concilium Nicaenum I. in symb. ait: „Hos tales anathematizat catholica et apostolica ecclesia:“ licet soli episcopi sententiam tulerint; et Constantiense expresse hanc formulam adhibet: „Sacrosancta synodus ecclesiam universalem repraesentans.“

2) hic etiam constans fuit ecclesiae universae sensus; fideles nimirum ad decreta conciliorum generalium fidem moresque componebant, parati pro iis etiam mortem obire; ii, qui talibus conciliis reluctabantur, pro haereticis habebantur; ipsa demum concilia consentiente toto orbe christiano ad exemplum apostolorum Act. XV. hanc sibi praerogativam vindicarunt.

* S. Ambrosius ep. 32. „Sequor, inquit, tractatum Nicaeni concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare.“ S. Gregorius M. ep. 24. l. I. scribit: „Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia (generalia) suscipere et venerari me fateor.“

** Hinc inde per aliquod tempus dubitatum fuit de facto, an hoc vel illud concilium vere generale fuerit; de jure autem, an concilium generale sit infallibile, dubium nullum unquam fuit. Unde ipse Lutherus ad generale concilium provocavit, et Calviniani decreta concilii sui Dordracensis irreformabilia agnoverunt.

*** Objectiones, quae fieri solent, facile solvuntur.

1) S. Gregorius Naz. ep. 55. scribit: „Ego si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam; quoniam nullius concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem et incrementum habuerit.“ ℟. Loquitur S. Gregorius de frequentibus Arianorum conventibus, in quibus per fraudulentiam Arianorum, ac per praepotentiam Imperatorum, Arianis faventium, omnes ecclesiasticae regulae sunt violatae. Ceterum ipsemet concilio Nicaeno inconcussus adhaesit, et de Patribus Nicaenis scripsit: eos a Spiritu S. fuisse coactos;“ et concilio generali Constantinopolitano postea interfuit.

2) S. Augustinus l. 2. de bapt. c. 3. dicit: „ipsa concilia plenaria saepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur, quod latebat.“ ℟. S. Augustinus loquitur non de rebus fidei et morum; sed de factis et rebus historicis, in quibus concilium non est infallibile, et experimento vera facti species detegi po-

test; deinde nomine concilii plenarii ibi non generalia, qualia ipsius aetate duo tantum fuerant celebrata, sed provincialia designavit.

3) Singuli episcopi, ac proin etiam omnes, utpote homines, errare possunt. R. Infallibilitas non ex scientia vel pietate episcoporum personali, sed ex assistentia divina repetenda est, quae non singulis episcopis seorsim spectatis, sed collegio episcoporum, capiti suo unito competit. Eadem responsio valet, siquis de modo agendi, quem hinc inde aliqui episcopi in conciliis servarunt etc. conqueritur; ea enim est divinae assistentiae virtus, ut in mundo morali aeque ac physico omnia fortiter et suaviter disponat. Caeterum criminationes, quae adversus concilia ab adversariis conjiciuntur, non raro exaggeratae nimis, aut iniquae et falsae sunt, aut haereticos eorumque fautores potius, quam episcopos catholicos tangunt.

§. 268.

Concilia particularia, licet per se infallibilia non sint, magnam etiam habent auctoritatem, et provisoria edunt decreta.

a) Episcopi enim inibi convenientes ad defendendum fidei depositum ex officio agunt; et profecto synodi particulares non raro exortas in rebus religionis innovationes feliciter suppresserunt.

b) Provisoria ergo sunt synodorum particularium decreta, quae postmodum vel accedente pontificis et reliquae ecclesiae consensu pro universa valent ecclesia, uti de Arausicano et Milevitano concilio scimus, vel a pontifice et reliqua ecclesia reprobantur, uti de conciliis S. Cypriani et Firmiliani et de multis Arianorum synodis constat.

* Conciliis legitimis 1) circa disciplinam etiam potestas competit, generalibus pro universa ecclesia, particularibus pro particulari: 2) habent ea usum etiam historicum, et dogmaticum, eoquod ex iis historia et argumenta dogmatum depromi queant. 3) Quodsi humano tantum judicio rem pensitemus, magnum jam prae disgregatis plurium votis praejudicium habent conclusa collegialia, quia ex una parte amplior causae dilucidatio, exactior et secura magis discussio, curatius difficultatum examen institui potest, et ex altera major veritatis et justitiae praesumtio habetur. Unde etiam apud omnes gentes collegialia conclusa in majori semper veneratione fuerunt.

§. 269.

Nec tamen unicus, nec semper necessarius fidei depositum custodiendi modus est convocatio conciliorum.

a) Christus etenim promissam assistentiam divinam nullibi ad conventum rectorum uno in loco restrinxit.

b) Insuper convocatio conciliorum propter varia impedimenta impossibilis fieri potest, aut nociva, quia ex longa et saepe repetita episcoporum absentia non leve dioecesibus immineret detrimentum; et quia interea haereses latius propagari possent etc.

c) Demum historia docet, tribus primis saeculis errores sine conciliis generalibus fuisse suppressos.

§. 270.

Extra casum concilii generalis depositum fidei conservatur et defenditur per sen-

sensum ecclesiae dispersae; qui, si fuerit universalis, auctoritate pollet infallibili.

a) Sensus ecclesiae dispersae petitur ex publica ecclesiarum per orbem christianum dispersarum doctrina et fide; isque est 1) universalis, si omnes, vel moraliter omnes ecclesiae consentiunt, vel particularis, si plures inter se dissident; 2) expressus, si petita circa veritatem aliquam declaratio verbis apertis promulgatur, vel tacitus, si is ex vigente ecclesiarum fide, ex libris symbolicis jamjam receptis etc. colligitur; 3) theoreticus, qui ex publica vel omnino solemni doctrina, vel practicus, si ex praxi aut ex institutis ecclesiae, certam quamdam fidem supponentibus, desumitur.

* In colligendo ecclesiae dispersae sensu 1) ad docentem potissimum ecclesiam attendere oportet, a qua fides ecclesiae discentis pendet; 2) ad sensum universalem non requiritur, ut omnes prorsus et singuli episcopi consentiant; sed sufficit major vel sanior eorum pars, pontifici adhaerens, cui qui hactenus repugnarunt, aut numero pauciores, aut auctoritate aliunde inferiores fuerunt! nam omnis fere secta fautores habuit episcopos quosdam. 3) Consensus tacitus, uti ex ipsa ejus notione colligitur, differt a solo silentio, quod vel ex ignorantia vel ex negligentia oritur; interdum enim expressa promulgatio turbas excitaret sine fructu. 4) Circa praxin ecclesiae respicere oportet tum ad ejus objectum, tum ad momentum, quod ecclesia tali praxi tribuit, ut innotescat ex ea fides ecclesiae.

b) Universalis jam sensus ecclesiae circa res fidei et morum infallibilis est, 1) non tantum ideo, quia ex tali sensu sequitur, talem doctrinam

ab ipsis apostolis ecclesiae fuisse traditam: sed ideo potissimum, quia promissio Christi ad totam ecclesiam, adeoque in orbe dispersam pertinet: 2) hanc etiam regulam ecclesia inde a primis saeculis semper tenuit.

* Ex hoc ecclesiarum consensu 1) tribus primis saeculis haereses Ebionis, Marcionis, Manetis, Pauli Samos. etc. sine conciliis generalibus fuerunt damnatae. 2) Ubi generalia concilia jam celebrari consueverunt, Donatistae tamen, Pelagiani et alii fuere reprobati sine conciliis generalibus; eadem ratione errores Baji et Jansenii postmodum sunt damnati. 3) Tertullianus et S. Irenaeus ex uno ecclesiarum consensu constanti et universali haereses quascumque refelli posse ostenderunt. „Nihil, scribit S. Augustinus ép. 55. ecclesia Dei, quod est contra fidem, vel bonam vitam, approbat, nec tacet, nec facit.“

** Objicitur: 1) Consensus ecclesiae dispersae non satis cognitus et certus esse potest. R. Satis cognosci potest ex characteribus, infra assignandis. Sect. II. 2) Consensus tacitus omnino non sufficit: absurdum enim est, episcopos tacendo etiam docere. R. Consensus iste tacitus multum differt a silentio; dein ecclesia nullum errorem in rebus fidei et morum tacendo tolerat.

*** Consensus ecclesiarum particularis, si certus is fuerit, etsi infallibilis per se non sit, magnam tamen habet praesumptionem, quia annuntiatam ab apostolicis viris doctrinam in ecclesiis illis perdurasse, supponitur; quae quidem praesumptio pro numero, et dignitate ecclesiarum crescit. Unde in tali casu ecclesiarum praecipue apostolicarum, inprimis vero ecclesiae Romanae rationem habere oportet; id quod primis ecclesiae saeculis nunquam non fuit observatum.

§. 271.

Ecclesiae dispersae sensum insigniter discimus ex scriptis Ss. Patrum, quos omnis aetas christiana ceu patres spirituales, id est, ceu testes, doctores et custodes religionis christianae venerata est.

a) Patres ecclesiae vocantur testes mediati doctrinae christianae, qui antiquitate, doctrina et sanctitate inter christianos fulgent.

* Tres Ss. Patrum epochae communiter statui solent. Prima complectitur Patres trium primorum saeculorum, quos inter Apostolici et Apologetae potissimum memorantur. Secunda usque ad S. Gregorium magnum et S. Isidorum Hispal. decurrit, in qua ob datam ecclesiae pacem, ob diffusam et firmatam jam magis religionem et ecclesiam, ob concilia celebrata etc. doctrina Christi conservata et illustrata fuit, ut plurima eaque egregia scripta ex illa aetate ad nos pervenerint. Tertia usque ad S. Bernardum pertingit, quem ob suavitatem sermonis, et insignia pro utraque republica merita posthumum Ss. Patrum vocant. Epocha haec inter varios tumultus, et fata adversa fere transiit, et dispersa praecedentium temporum monumenta collegit.

b) Licet omnes Ss. Patres vere sint doctores ecclesiae, ecclesia tamen, cujus utique est testes religionis vel approbare vel reprobare, aliquos tantum eorum speciali hoc titulo insignivit, qui nempe praeter sanctitatem et scriptis illustrioribus et operibus insignibus optime meriti sunt de ecclesia.

* Hoc titulo honorantur 1) ex Graecis Ss. Athanasius, Basilius, Gregorius Naz. et Joannes Chrysost. quibus accensetur S. Gregorius Nyss. 2) ex Latinis

Ss. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius magnus; quibus S. Pius V. S. Thomam Aquin. doctorem angelicum, et Sixtus V. S. Bonaventuram seraphicum adjunxit. Idem honos in officio ecclesiastico Ss. Hilario, Leoni m., Chrysologo, Isidoro, Bedae, Ildephonso, Anselmo et Bernardo tribuitur.

c) Testis demum, in quo sanctitas deficit, simpliciter scriptor ecclesiasticus vocatur, probatae quidem fidei, si publica fidelium opinione pro integro fidei teste habitus est et doctrinae suo aevo publice receptae non contradixit: secus autem inconstantis fidei.

* Inter hosce scriptores Papias, Tertullianus. Origenes, Clemens Alex., Lactantius, Rufinus Aquil. Eusebius Caesar. etc. numerantur.

** Hac in materia bene meriti sunt non tantum ii, qui patrologiam ad usus scholae conscripsere, uti Schleichert, Wilhelm, Wiest; sed etiam Bonaventura Argonensis „de optima methodo legendi Ss. Patres" et Benedictini e congr. S. Mauri in praef. ad opera SS. PP.

§. 272.

Unanimis Ss. Patrum consensus in rebus fidei et morum indubitatum veritatis criterium est.

a) Unanimis censetur consensus iste, si singularum nationum Patres praecipui in rei ad fidem et mores pertinentis assertione consentiunt ita, ut inter illos nullus, qui semper orthodoxus orthodoxis adhaesit, dissentiat.

b) Talis jam consensus 1) certum traditionis, et sensus ecclesiae dispersae argumentum est.

2) Hinc ecclesia tum in conciliis generalibus, tum extra illa in dandis suis definitionibus semper ad fidem Patrum provocavit, et Tridentinum sess. IV. decrevit, ne quis s. scripturam contra unanimem Ss. Patrum sensum audeat interpretari.

* Ss. Patrum interpretatio eximium habet pretium tum quia Ss. Patres veritates divinitus revelatas non tam ex ingenio humano, erroribus obnoxio, quam juxta traditionem, et doctrinam ecclesiae avitam, quam ob propinquitatem ad aevum apostolicum facilius scire poterant, et ex officio solerter indagabant, interpretari amaverunt; tum quia animo a praejudiciis libero, pio et ad Deum erecto ad illud negotium accesserunt.

** Objectiones facile solvuntur: 1) Licet aliqui allegorias fuerint sectati, iidem tamen ubi de institutione circa fidem res agebatur, plano et proprio utebantur sermone. Praeterea praecipui interpretes Ss. Basilius, Hieronymus, Chrysostomus literalem sensum adversus haereses et errores sequebantur. 2) Etsi plerique Ss. Patrum linguam hebraicam non callerent, Origines tamen et S. Hieronymus haud mediocrem linguae istius notitiam habuerunt. Tanta etiam hebraicae linguae necessitas non fuit, tum quia graeca V. T. versio LXX. extabat, et N. T. aliunde graeco idiomate, quod plerique Patrum callebant, conscriptum erat, tum quia recens adhuc vigebat traditio. 3) Philosophiae neoplatonicae, cui aliqui Patrum alias favebant, in definiendis religionis divinae doctrinis nihil tribuerunt; sed inibi ad Prophetas, ad Christum, ad apostolos eorumque traditionem adpellabant.

*** Ss. Patres optime defenderunt Muratorius de ing. mod. l. 3. c. 16. Bossuet def. de la trad. des Péres, Cellier in apol. SS. PP.

**** Non solum Theistae, sed etiam Protestantes post Lutherum, Dallaeum et Jo. Clericum Ss. Patres contemnunt; saepius tamen, quum ex re ipsorum esse videtur, lacinias ex Patribus decerptas in triumpho quasi ostentant. ut ecclesiae suae antiquitatem exinde probent. Tali modo jam Ariani Patribus Antenicaenis, Pelagius S. Chrysostomo etc. abutebantur.

Articulus III.

De conditionibus infallibilitatis.

§. 273.

Infallibilis ecclesiae auctoritas ut effectum sortiatur, certae quaedam conditiones adsint oportet. Christus enim pro infinita sua bonitate et sapientia certe ipse ordinem seu conditiones praescripsit, ex quibus fideles certiores fieri possint, quando et ubi rectoribus ecclesiae divinum adsit auxilium, a se promissum. Neque etiam Deus extraordinariam praestat opem, nisi ad supplendum naturalem eruendae veritatis defectum.

* * Certe Christus vult, ut rectores ecclesiae in negotio religionis custodiendae omnem, quam possunt, ipsi adhibeant diligentiam, riteque in eo versentur.

§. 274.

Prima jam conditio est, ut sententia vel declaratio ecclesiae non tantum sit clara, sed etiam determinata et certa, ut omnibus fidelibus constare possit, hanc vel illam doctrinam in hoc sensu praecise ad ipsa religionis christianae dogmata pertinere.

* „Ut aliquid sit de fide, inquit Veronius §. 4. n. 6. oportet concilium eam definivisse proprie ut decretum fide catholica tenendum."

§. 275.

Altera est, ut sententia vel declaratio fiat ab episcopis legitime a Deo vocatis, et moraliter universis cum Papa consentientibus.

a) Episcopis enim, ceu successoribus apostolorum, Christus propriam sua in ecclesia docendi potestatem dedit, iisque — non singulis seorsim, sed omnibus simul — suam promisit assistentiam. Unde Jerosolymis Act. XV. Apostoli tantum sententiam dixerunt; omnis autem multitudo tacuit; et in conciliis generalibus soli episcopi sive per se, sive per legatos ad id speciatim deputatos subscripsere definientes.

b) Consensus autem cum Papa requiritur, quia juxta voluntatem Christi Matth. XVI. et Joann. XXI. totum ecclesiae aedificium fundamento inniti, corpus capiti suo uniri et grex totus pastori — Petro — adhaerere debet. Hanc etiam conditionem omnis ubique et semper agnovit ecclesia.

* S. Damasus Papa in ep. syn. ad episc. Illyr. scribit: „Neque enim praejudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum episcopum, cujus ante omnia expectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum episcopatum integre gesserat, neque alios talibus praebuisse consensum."

§. 276.

Tertia est, ut declaratio ecclesiae fundamentum habeat in divina revelatione sive per effata s.

scripturae, sive per traditionem. Non enim novae fiunt revelationes; sed depositum fidei, ab apostolis ecclesiae communicatum tum per scripturas, tum per oralem praedicationem, ab ecclesia conservatur et custoditur. Unde ipsi apostoli Act. XV. sententiam suam divinae scripturae testimoniis confirmarunt, omnisque ecclesia motas de fide quaestiones semper ad s. scripturae et traditionis normam examinavit et decidit.

* Neutiquam ergo ecclesia verbo Dei dominatur; sed eidem innititur illudque sequitur. Ad legitimam tamen ecclesiae definitionem non semper clarus scripturae textus, neque universalis traditio ab omnibus prorsus agnita, neque consensus omnium omnino episcoporum requiritur; ad hosce enim defectus supplendos divina assistentia magisterio, quod cum capite suo unitum est, a Christo est promissa.

§. 277.

Ex hactenus dictis sequitur,

I. veram esse fidei et theologiae catholicae regulam; „Illud omne et solum pertinet ad systema fidei catholicae, quod est revelatum a Deo et ab ecclesia est propositum fide divina credendum.

II. genuinam fidei catholicae, ceu divinae analysin dari posse: fidei enim catholicae

a) ratio prima est auctoritas Dei, cujus revelatio tum per scripturam, tum per traditionem extat:

b) ratio remota est auctoritas ecclesiae, quae revelatas doctrinas nobis exhibet, declarat, custodit divino suffulta auxilio:

c) ratio remotissima est promissio clara Christi, quem ex scriptura authentica legatum divina auctoritate munitum novimus.

* Viderint D. D. Protestantes, qui ecclesiae auctoritatem a Christo institutam repudiant, quo tandem deveniant in resolutione fidei suae, an non potius ingenii sui, quam scripturae vocem sequantur.

** Wie manche Weltweise, die uns nicht zu sagen wifsen, woher wir kamen? noch wohin wir gehen? von keiner, auch nicht göttlichen Auctorität etwas wifsen wollen, welche doch dem bescheidenen Liebhaber der Weisheit, Sokrates, so wünschenswerth schien; und wie sie den Christen vorwerfen, dafs die christliche Religion auf Autorität der Offenbarung beruhe: so werfen Mitglieder christlicher, aber von der katholischen Kirche getrennter Parteyen, uns Katholiken vor, dafs unsere Religion nicht blofs auf Autorität des göttlichen Wortes, sondern auch auf Autorität der Kirche beruhe. Als ob irgend ein Gesetz ohne authentische Vollzieher sich in Kraft erhalten, oder als ob die Schrift einer authentischen Erklärung entbehren könnte, welche eine Richtschnur des Lebens dem Herrscher, dem Weisen, und dem Hirten auf dem Felde zieht; welche Bewegungsgrund zum Handeln, und Trost im Leiden, aus der künftigen Welt hernimmt; welche vom Unsichtbaren ausgeht, und auf den Unsichtbaren zurückführt! Als ob auch die Erfahrung seit achtzehn Jahrhunderten nicht gelehrt hätte, welcher verschiedenen Deutungen diese Schrift fahig scheine, so bald man sich erkühnt „die Gemeine des lebendigen Gottes, diesen Pfeiler und Grundfeste der Wahrheit" zu verlassen. I Tim. III, 15.

Die Parteyenstifter gingen alle aus von dem Grundsatze, dafs die heilige Schrift den Erkenntnifsgrund der ganzen Lehre so deutlich als vollständig

in sich enthalte. Gleichwohl mufsten sie eben diesem Grundsatze sehr bald zuwider handeln, als zahllose aus Spaltung entstandene Spaltungen die Mitglieder jeder Secte nöthigten sich zu einem besondern Glaubensvereine zu bequemen. So lang diese Parteyen auch nur einen Schemen von Bestand zeigen wollen, müssen sie fortfahren auf Beybehaltung ihrer verabredeten Glaubenslehren zu halten, und ihre öffentlichen Lehrer, sowohl der Kirchen als der Schulen, feyerlich zu verpflichten, nicht aus dem Kreise zu treten, den der Stab ihrer Stifter ihnen in den Sand, auf den sie ihr Lehrgebäude gründeten, gezeichnet hat. Wollen sie das nicht, soll das einzige Object ihres Vereins Widerspruch, Protestation wider jede positive Lehre seyn, wie schon laut von vielen ihrer Meister behauptet und gelehret wird; so entfernen sie sich von dem Bekenntnifse, zu welchem eben diese Meister sich eidlich verpflichten lassen, mehr, als ihre Stifter sich von der katholischen Kirche entfernten, und alle Idee von Christenthum mufs bald unter ihnen verschwinden; alle Idee von gesellschaftlichem Verein.

Wir Katholiken hingegen haben uns in der Lehre nie einer menschlichen Autorität, als solcher, unterworfen.

Die Autorität der Kirche, das heifst, der in ihrem Glauben vereinten Bischöfe der Kirche Gottes, ist für uns in Absicht auf Glaubenslehren göttlich; weil Christus den Aposteln und deren Nachfolgern verheifsen hat, dafs Er „bey ihnen seyn werde alle Tage bis an der Welt Ende“ Matth. XXVIII, 20. und dafs „der heilige Geist, der Geist der Wahrheit, bey ihnen bleiben ewiglich, in ihnen seyn, sie alles lehren, sie in alle Wahrheit leiten werde.“ Joh. XIV, 16. 17. 26. XVI. 13. Stolberg: Zwey Schriften des heiligen Augustinus.

Sectio II.

Praxis.

§. 278.

Ut legitimus auctoritatis ecclesiasticae usus fiat, ante omnia opus est, ut genuina adhibeantur documenta, ex quibus sensus ecclesiae rite intelligatur, qualia sunt

a) acta conciliorum generalium, in quibus ecclesia congregata solemnem de religione definitionem dedit;

b) libri publici, ad institutionem populi in religione, ad administranda mysteria Dei, et ad declarationem in rebus fidei et morum destinati, in quibus sensus ecclesiae dispersae continetur; libri nempe symbolici et liturgici, constitutiones pontificiae, scripta Ss. Patrum, literae communicatoriae.

* Quid circa haec documenta observandum sit, succincte indicare oportet.

** Sensum ecclesiae non e scholis, quae circa res ab ecclesia nondum definitas libere disputant, neque etiam ex sola fidelium praxi quacumque discere oportet, quam ecclesia saepe tantum permittit, aut saltem non semper positive adprobat.

*** Insuper attendere oportet, utrum sensus aliquis ecclesiae ex scriptura et traditione, aut ex privato ingenio fluxerit.

§. 279.

Ex actis conciliorum ut jam definitiones fidei rite desumantur, attendere oportet 1) ad finem,

quem concilium aliquod habuit, ut materia ex instituto tractata ab incidenter allegata discernatur.

* Sic Concilium Nicaenum II. ex proposito declaravit, quod liceat imagines angelorum et Sanctorum pingere; neutiquam autem aliquid statuere voluit de quaestione illa, utrum angeli aliquod corpus habeant, licet Tarasius hac etiam de re loqueretur. Unde decreta ipsa a rationibus et declarationibus, quas episcopi hinc inde protulerunt, distinguere convenit. Bene tamen monet Muratorius, ea, quae in concilio generali obiter tantum prolata, nec tamen ab aliis repudiata fuerunt, aut praeter fidem esse, aut saltem non contra fidem esse.

2) ad ipsum argumentum et ad formam, ut appareat, utrum concilium validam definitionem hic et nunc edere et potuerit, et voluerit.

* De conciliis egregie tractant Lud. Thomassin in dissertat. Richard in anal. conc. Carranza et Schramm in summa concil.

§. 280.

Ecclesiae dispersae sensum colligere oportet ex libris ecclesiarum symbolicis et liturgicis, ex quibus earum sensus per se innotescit, et ex literis communicatoriis, quas episcopi ceu tesseram fidei suae adhibuerunt. Insignem hac in re vim habet 1) consensus ecclesiae orientalis cum occidentali: ecclesiae enim in Oriente pleraeque ab ipsis apostolis fundatae, institutionum a majoribus acceptarum tenacissimae, et latinis ecclesiis aemulae fuerunt. Unde ea, in quibus orientalis ecclesia cum occidentali consentit, ad primigeniam et universalem ecclesiae fidem pertinent:

2) consensus ecclesiae graecae schismaticae cum latina: innovationi enim circa fidem sive jam tentatae, sive postea tentandae Graeci schismatici certe restitissent.

* In dubio ad sensum plurium et antiquiorum, praecipue apostolicarum, et earum maxime ecclesiarum, quae cum Romana ecclesia consenserunt, respiciendum esse, ex alibi dictis constat.

§. 281.

Ex decretis pontificiis ut infallibilis ecclesiae sensus desumatur, videndum est, an decreta illa ad universam ecclesiam ex officio directa sint in rebus religionis ipsisque decretis consensus ecclesiae postea accesserit. cf. § 265.

* Ea, quae in talibus decretis citra princeps argumentum, propter quod edita sunt decreta, adduntur, per se nondum valent. Decreta etiam, quae ad particularem ecclesiam, vel personam diriguntur, tantam etiam non habent auctoritatem.

§. 282.

In usu Ss. Patrum attendendum est a) ad saeculum, quo floruit Pater; quo antiquior enim est Pater, eo propiorem et faciliorem accessum habuit ad ipsam apostolorum traditionem; insuper Patres ante latam de capite aliquo religionis sententiam multa inter catholicos loquebantur, quae catholice accipiebantur, postea autem ab heterodoxis sinistre explicata et corrupta sunt etc.

b) ad aetatem, in qua Pater scripsit: nam non nunquam in senectute Patres re melius exa-

minata retractarunt aliqua, uti S. Augustinus; alii autem in doctrina non erant constantes, uti Tertullianus etc.

c) ad scopum scriptionis: Sic de divinitate Jesu Christi S. Athanasius, de Spiritu S. S. Basilius, de gratia et peccato originali S. Augustinus ex instituto praeclare scripserunt; interdum autem accidit, ut contra unum errorem disputantes in oppositum abripi viderentur etc.

d) et ad modum, quo suum pertractant argumentum, an ex ingenio suo, vel ex traditione etc. Ita Origenes non nunquam suo indulsit genio.

* Vitanda est nimia erga Ss. Patres reverentia, quae omnia et singula eorum dicta acceptat: homines enim fuerunt Ss. Patres, et humani quid hinc inde passi sunt. Aeque vitanda est nimia irreverentia, quae eos omnino explodit, aut errata eorum sola respicit et exaggerat: vel sola aequitas jam jubet senes venerari. Caeterum Ss. Patres in omni fere scientiarum genere pro sui aevi indole excelluerunt; unde et aequiores ex Protestantibus insigniter eos commendant, veluti Ernesti, Molanus, Jenisch, Horst.

§. 283.

Pro omni usu auctoritatis ecclesiasticae feliciter faciendo insigniter servit historia ecclesiastica. Haec enim occasionem, scopum et circumstantias indicat, ex quibus genuinus documentorum sensus facilius intelligi potest. Nec conciliis, nec scriptis Ss. Patrum rite quis uti poterit, nisi historiam errorum, quibus concilia obviarunt, et biographiam aeque ac bibliographiam Patrum ex historia ecclesiastica noverit.

Caput III.

Auctoritas rationis.

§. 284.

Auctoritati Dei revelantis et ecclesiae declarantis accedit ratio naturalis: haec enim, quum a Deo data nobis sit ceu dux et magistra, et quum rationabile debeat esse obsequium fidei nostrae, a religione et theologia, utpote negotio nostro gravissimo excludi non potest.

* Theologus non tantum singulas religionis veritates nosse debet, sed et paratus atque expeditus sit oportet, ut easdem solidis comprobet argumentis, et adversus impugnationes quaslibet strenue defendat; id quod sine multiplici rationis usu praestare non poterit.

** Cum pleraque huc pertinentia in theologia generali jam occurrerint, sufficit hic et nunc principia de usu rationis in theologia in genere stabilire, et usum illum speciatim attingere.

§. 285.

Errarunt et errant, qui nullum rationi locum in theologia christiana relinquunt, ut potius eam vel inutilem vel omnino noxiam censeant. Usum quippe rationis in negotio religionis exigit

a) natura hominis: ratio enim proprium et characteristicum hominis donum est, divinitus datum. Unde homo a sua degeneraret dignitate, si in re omnium gravissima rationem ducem sanctam et fidelem negligeret:

b) religionis christianae honos et commodum; ea enim, dum a ratione sustentatur, barbariem, vitia et sophismata vincit; dum a ratione deseritur, periculo superstitionis, mechanismi, aut fucati mysticismi et fanatismi exponitur, aut saltem, ac si tribunal rationis formidaret, suspecta redditur: dein capita religionis christianae alia rationi consentiunt, alia certe non dissentiunt: demum per solam rationem et virtus religionis cognosci, et applicatio ejusdem feliciter fieri potest:

c) ipsa etiam revelatio divina: Moyses enim et prophetae, Christus et apostoli cum patribus ecclesiae ad sanos animi sensus et ipsi appellant, et alios remittunt.

* S. Paulus I Thess. V, 21. jubet: „Omnia probate, quod bonum est, tenete.“ Phil. I, 9, 10. „Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia,... ut probetis potiora etc. Phil. IV, 8. „Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica . . . . . haec cogitate.“ Idem Rom. I, 20. Dei perfectiones ex contemplatione mundi, et ex sensu nobis indito Rom. II, 14. legem Dei cognosci posse monet coll. Rom. VII, 23. S. Joannes I ep. 1, 1. nos hortatur: „Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.“ Quae quidem omnia usum rationis exposcunt.

** S. Paulus et Ss. Patres adversus falsi nominis scientiam et philosophiam conqueruntur; sed genuinam ipsi sequuntur.

*** Historia testatur, ex ubusu philosophiae haereses et errores, ex recto ejus usu illustrationem religionis, et ornatum provenisse.

§. 286.

§. 286.

Pejus adhuc errant, qui vel repudiata revelatione solam rationem religionis normam assumunt, vel admissa quidem revelatione, doctrinas ejus ad normam rationis exigunt. Nimium hunc rationis usum rejicit

a) ipsa rationis humanae infirmitas; quae dum naturalia multa ignorat, plenam religionis et revelationis notitiam nimis superbe ambit, et dum consilia hominis nescit, consilia Dei arcana explicare incassum molitur; quin imo ipsa sana ratio, infirmitatis suae conscia, non solum revelationem, sed interpretem etiam revelationis exoptat et grata acceptat:

b) natura revelationis: quae, oriunda a Deo, licet nihil contineat, quod rationi repugnet, aliqua tamen, quae superent rationem, continere potest:

c) auctoritas Christi, qui se non interpretem rationis humanae, sed divinum legatum esse dixit, et probavit non ratiociniis, sed signis, doctrinaeque suae fidem haberi voluit, eoquod eam a Patre accepit, et signis confirmavit; traditam autem doctrinam non rationi cujuslibet hominis, sed ecclesiae suae commisit, quam audiri a quovis christiano jussit.

§. 287.

Usum igitur rationis in negotio religionis moderari oportet ita, ut sua etiam jura auctoritati Dei revelantis et eccle-

siae declarantis simulque rationis ipsius et jura et limites ex aequo serventur.

a) Dari harmoniam inter revelationem, ecclesiam et rationem, inde jam colligimus, quia una earum origo a Deo, unusque est finis; tum etiam scimus ex eo, quia nullum religionis caput ostendi potest, in quo revelatio, ecclesia et ratio inter se pugnent.

b) Limites suos ratio in religione habet tum a natura sua, tum a Deo per revelationem positos. Unde rationis usus modo major, modo minor heic esse potest, qualem materia admittit, non Evangelium rationi accommodando, nec Evangelium ex ratione deducendo, sed Evangelium et symbolum confirmando.

* Tali modo triplex, quod Deus nobis ad finem nostrum ultimum dedit, donum grato animo adplicamus ita, ut cuique suum tribuamus.

§. 288.

Praestat autem, rationem potius hominis naturalem et cultam, quae leges cogitandi sanae et sobriae cuivis menti communes servat, et rebus singulis justum pretium suum tribuere studet, quam philosophiam scholae in theologia sequi.

a) Ratio enim semper sibi similis vitam hominum regit, et verum simplici ac plana via attingit; philosophia autem scholae continuo mutatur, paucis pervia est, et ambages subtilium quaestionum pervagatur.

b) Historia docet, omnes hactenus philosophiae formas ad theologiam fuisse translatas, utrum

cum emolumento, aut cum detrimento majori, saltem sub judice lis est.

* Multum diuque in theologia dominabatur philosophia Aristotelica, per lustrum Wolfiana, viginti circiter annis Kant, Fichte et Schelling primatum in philosophia inter se partiti sunt; quis eum nunc plures inter certantes teneat, nondum constat.

** Bene vivere, ut in aeternum beate vivas, optima philosophia est, quam docet revelatio, quamque didicisse et tenuisse, neminem unquam poenituit. cf. Sailer „Theophils Briefe an Christenlehrer." München 1805.

§. 289.

Quodsi in specie usus rationis in negotio religionis magis sit determinandus, is inprimis in theologia generali, sive in religione vera invenienda cernitur.

a) Ratio enim, quae multiplici modo ad Deum nos ducit, sat clare officium religionis promulgat, simulque suam in integro religionis verae negotio perficiendo insufficientiam experitur, et fateri cogitur; sicque ad revelationem, cujus possibilitatem, optabilitatem et characteres evincit, nos manuducit.

b) Dirigit dein Theistam in indagatione religionis christianae, dum ei leges, quibus authentica hac super re documenta discerni queant, et characteres, quibus vera revelatio dignoscitur, suppeditat eumque in adplicatione eorum ad religiones, quae revelatae dicuntur, juvat.

c) Christianum demum ad veritatem religionis et ecclesiae catholicae ducit, dum ei regulas de

recto scripturae usu, principia juris socialis, et genuinos de Christo conceptus offert.

§. 290.

In ipsa etiam theologia speciali multum praestat ad illustrandam religionem revelatam, dum

a) sparsas in scriptura et traditione veritates colligit, et juxta notiones directrices justum in ordinem redigit:

b) cognitionem veritatum claram et distinctam reddit notionibus et propositionibus rite determinatis, soliditatem procurat, et conclusiones legitimas deducit.

* Modestum] etiam dogma explicandi et confirmandi conatum theologia non respuit. cf. Oelzweige 1821. „Symbol der Wahrheit."

c) Genio aevi nostri periculoso et religioni infenso occurrit, et dogmata ad pietatem excitandam et fovendam adplicat.

§. 291.

Demum in defensione religionis ratio sese etiam exerit; solvit enim

a) difficultates metaphysicas, dum philosopho philosophiam opponit; dum ex ignorantia modi fidem retardari non posse ostendit, et negativam saltem vel positivam etiam dogmatis possibilitatem evincit;

b) difficultates physicas, dum dogmata rebus similibus ex natura et homine petitis illustrat,

eorum sublimitatem ex notione Dei vindicat, eorumque nexum cum aliis veritatibus declarat;

c) et morales, dum haec talia dogmata perfectionibus Dei convenire et indigentiis hominis spiritualibus respondere ostendit.

* Rvdmus Sailer in egregio libello: „Nexus theologiae christianae cum philosophia.“ Aug. 1779. bene monet; ut 1) ratio in iis, quae revelata sunt, revelationem et ecclesiam ducem sequatur et magistram; alia enim sunt jura rationis circa revelationem, alia circa singula revelationis capita: 2) ut memor semper sit et suae finitudinis, et infinitudinis divinae; unde mysteriis etiam offendi non potest: 3) ut sua inventa ab effatis Dei et ecclesiae discernat. Prima regula errorem, altera infidelitatem, tertia confusionem removet.

* * *

Ad illustrandam simulque confirmandam religionis ac ecclesiae catholicae veritatem capita non nulla ex commonitorio S. Vincentii Lerinensis († circa annum 450) heic apposuisse juvabit.

CAPUT XXV.

Est hominis vere catholici, tenere id, quod ecclesiam semper tenuisse perspexerit.

Ille est verus et germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed haec cuncta despiciens, et in fide fixus, stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit; quidquid vero ab aliquo deinceps uno praeter omnes, vel contra omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligit pertinere, tum praecipue beati apostoli Pauli eruditus eloquiis: hoc est enim, quod in prima ad Corinthios epistola scribit: Oportet haereses esse, ut probati manifesti fiant in vobis: ac si diceret: ob hoc haereseon non statim divinitus eradicantur auctores; ut probati manifesti fiant: id est, ut unusquisque, quam tenax et fidelis, et fixus catholicae fidei sit amator, appareat. Et revera, cum quaeque novitas ebullit; statim cernitur frumentorum gravitas, et levitas palearum: tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii illico prorsus avolant; alii vero tantummodo excussi, et perire metuunt, et redire erubescunt saucii,

semineces ac semivivi; quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quae nec occidat nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere sinat. Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum aestibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim, qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tanquam contrarii fluctus reliduntur; nunc temeraria praesumptione et ea, quae incerta videntur, approbant; nunc irrationabili metu etiam, quae certa sunt, expavescunt; incerti, qua cant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quae quidem dubii, et male penduli cordis afflictio divinae erga se miserationis est medicina; si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicae fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur ac paene enecantur procellis, ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quae male novitatum ventis expanderant; seseque intra fidissimam stationem placidae ac bonae matris reducant et teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivae et salientis aquae fluenta potare. Dediscant bene, quod didicerunt non bene: et ex toto ecclesiae dogmate, quod intellectu capi potest, capiant: quod non potest, credant.

CAPUT XXVI.

In fide nihil esse innovandum, probatur potissimum ex 1. *Tim. VI.* 20.

Quae cum ita sint; iterum atque iterum eadem mecum revolvens et reputans, mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excae-

catae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita et accepta antiquitus credendi regula; sed nova ac nova in diem quaerant, semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere; quasi non coeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat; sed terrena institutio, quae aliter perfici, nisi assidua emendatione, immo potius reprehensione non possit, cum divina clament oracula: Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui; Et: super judicantem ne judices; Et: Scindentem sepem mordebit eum serpens. Et illud apostolicum, quo omnes omnium haereseon sceleratae novitates, velut quodam spirituali gladio saepe truncatae, semperque truncandae sunt: O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Et post haec inveniuntur aliqui tanta inveteratae frontis duritia, tanta impudentiae incude, tanto adamante pertinaciae, qui tantis eloquiorum coelestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremo fulminibus non conterantur? Devita, inquit, profanas vocum novitates. Non dixit: antiquitates; non dixit: vetustates: immo plane quod e contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas: et si profana est novitas; sacrata est vetustas. Et oppositiones, inquit, falsi nominis scientiae. Vere falsum nomen apud doctrinas haereticorum, ut ignorantia scientiae, et caligo serenitatis, et tenebrae luminis appellatione fucentur.

Quam quidam, inquit, promittentes circa fidem exciderunt. Quid promittentes exciderunt, nisi novam, nescio, quam, ignoratamque doctrinam? Audias etenim quosdam ipsorum dicere: Venite, o insipientes, et miseri, qui vulgo catholici vocitamini; et discite fidem veram, quam praeter nos nullus intelligit, quae multis ante seculis latuit; nuper vero revelata et ostensa est: sed discite furtim atque secretim: delectabit enim vos. Et item: Cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat; nec ecclesia sciat. Paucis namque concessum est, tanti magisterii capere secretum. Nonne haec verba sunt illius meretricis, quae apud Salomonis proverbia vocat ad se praetereuntes viam, qui dirigunt iter suum? Qui est, inquit, vestrum insipientissimus, divertat ad me. Inopes autem sensu exhortatur, dicens: Panes occultos libenter attingite, et aquam dulcem furtim bibite. Quid deinde? At ille, inquit, nescit; quoniam terrigenae apud eam pereunt. Qui sunt isti terrigenae? exponat apostolus: Qui circa fidem, inquit, exciderunt.

CAPUT XXVII.

Pergit explicare dictum apostoli: Depositum custodi.

Sed operae pretium est, totum ipsum apostoli capitulum diligentius pertractare: O Timothee, inquit, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. O! exclamatio ista, et praescientiae est pariter et caritatis. Praevidebat enim, futuros, quos etiam praedolebat, errores. Quis est hodie Timotheus, nisi vel generaliter universa ec-

clesia, vel specialiter totum corpus praepositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? Quid est, Depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne, dormientibus hominibus, superseminent zizania, super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est; non apud te inventum: quod accepisti; non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinae: non usurpationis privatae; sed publicae traditionis: rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non auctor debes esse; sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens sed sequens. Depositum, inquit, custodi; catholicae fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti; aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia subjicias: nolo pro auro aut imprudenter plumbum, aut fraudulenter aeramenta supponas; nolo auri speciem, sed naturam plane. O Thimothee! o sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina: esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce: ut cum dicas nove, non dicas nova.

CAPUT XXVIII.

Occurrit objectioni, ex dicto illo: Non nova.

Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui illud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei: non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius ecclesiae aetatum, ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

CAPUT XXIX.

Dicta declarat similitudine, ex augmento corporis humani desumpta.

Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen, quae erant, permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes; ut, quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen

nihilominus, eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum, et siqua illa sunt, quae aevi maturioris aetate pariuntur, jàm in seminis ratione proserta sunt; ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverit. Unde non dubium est, hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem: si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat aetatis, quas in parvulis creatoris sapientia praeformaverat. Quodsi humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem; aut certe addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certe debilitetur: ita etiam christianae religionis dogma sequatur has, decet, profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen, illibatumque permaneat, et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem.

CAPUT XXX.

Illustrant rem eandem similitudines aliae.

Exempli gratia: severunt majores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeae fidei semina: iniquum valde, et incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdi-

titium zizaniae legamus errorem. Quin potius hoc rectum et consequens est, ut primis atque extremis, sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeae institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut, cum aliquid ex illis seminum primordiis, accessu temporis evolvatur, et tunc laetetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Absit etenim, ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos spinasque vertantur. Absit, inquam, ut in isto spiritali paradiso de cinnamomi et balsami surculis lolium repente atque aconita proveniant. Quodcunque igitur in hac ecclesiae Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria, decet, excolatur, et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur: nefas, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant, necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem.

CAPUT XXXI.

Abdicato uno dogmate, periculum est de ceteris.

Nam si semel admissa fuerit haec impiae fraudis licentia, horreo dicere, quantum exscindendae atque abolendae religionis periculum consequatur. Abdicata enim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam

quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? Sed e contra, si novitia veteribus, extranea domesticis, et profana sacratis admisceri coeperint: proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac apud ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castae et incorruptae sacrarium veritatis. Sed avertat hoc a suorum mentibus nefas divina pietas; sitque hic potius impiorum furor.

J. O. G. D.

785 239 D51
Dobmayer, D.
AUTHOR
Institutiones Theologicae
TITLE
785 239 D 51